

~~D. A. 7~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VII-90
SIGNAT. cato CCCXIII.



OPVSCVLAS


QVAE

LATINE SCRIPSIT
SIGISM. IAC. BAVMGARTEN

THEOL. D. ET PROF. ORD.

COLLEGIT ET DIGESSIT
GOTTHILF CHRISTOPH BAKIVS
PAEDAG. REG. COLLEGA.

FASCICVLVS I.



HALAE MAGDEBURGICAE
impensis IOH. ANDR. BAVERI.
M DC XXXX.

OBASCAV

ATINA SCAVIT

PLATINUS

ATINA SCAVIT

ATINA SCAVIT

PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ET GENEROSISSIMO VIRO

AC DOMINO

CAROLO FRIDERICO
A DACHEROEDEN

DVCATVS MAGDEBVRGICI REGIMINIS
ET SANCTIORIS SENATVS

PRAESIDI EMINENTISSIMO
POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE
AB INTERIORIBVS CVBICVL

HAEREDITARIO IN BVRGORNER, SIERSLEBEN
AVLEBEN, DALLEBEN CET.

82

AC

PERFECTISSIMO AC

REVERENDISSIMO
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ET GENEROSISSIMO VIRO
AC DOMINO

CHRIST. GVILIELMO
A MVNCHHAVSEN

DYNASTAE OPPIDI ET PRAEFECTVRAE
MOECCKERENSIS, IN LEIZKAW
PABSTORF, MARIENTHAL CET.

SHOLASTRO ET CAPITVLARI CATHE-
DRALI HALBERSTADIENSI
SPECTATISSIMO

DOMINIS MEIS PERCLE-
MENTIBVS

FELICITATEM.

PER-

PERILLVSTRIS,
REVERENDISSIME, GENEROSISSIMI
DOMINI

Temeritatis suspicionem vix euitare
videbor, qui ILLVSTRBVS VESTRIS
NOMINIBVS opusculum, cuius vel
nullae vel exiguae fuerunt partes meae,
dicare audacissimo conatu suscepimus.
Splendor NOMINVM VESTRORVM virtutum-
que in alto positarum diu defixum atque
dubitabundum me tenuit, an vos tanta
decora atque ornamenta saeculi primitiis
ingenii mei vix maturesceribus tamquam
hederam quandam praefigerem. Sed vi-
cit tandem affectus affectum, pietas vere-
cundiam, ac fulgor NOMINVM VESTRORVM,
qui terrere aciemque oculorum praefirin-

gere videbatur, timorem ceterasque ani-
mi perturbationes tamquam nebulas
quasdam dispulit atque dissecit. Erexit
summa me humanitas VESTRA, quam ce-
teris virtutibus interlucere permittitis:
optima in litterarum studium voluntas,
quibus quasi condimentis grauiores curas
et reip. administrationem adspergitis: fir-
missimum patrocinii robur, et incredibilis
in eruditos benevolentia, quae multos al-
licit, vt ad vos MAECENATES tamquam
ad iudices aequissimos ingenii fetum qua-
lemcunque referant libellosque ILLVSTRI-
BVS VESTRIS NOMINIBVS PALLADIS veluti
clypeo munitos in lucem emittant.

Patiamini igitur, VIRI EXCELLENTISSIMI, vt
fastigium VESTRVM venerabundus accedens
VOBIS me vestrum totum consecrem, ac
VESTRA huic opusculo NOMINA praescrivi-
bam, quae omnibus litterarum cultori-
bus sacra sunt atque auspiciatissima. Leue
est, quod offero, nec tamen ita compa-
ratum, vt nulli plane in elegantiorum lit-
terarum studia fructus exinde redundare
possint. Purioris saltem latinitatis studiofi
non sine voluptate, vt spero, obserua-
bunt,

bunt, nouas res atque recens iuuentas pu-
re, eleganter ac latine a celeb. auctore ipsa
veterum ROMANORVM lingua esse expressas:
C'nam vnicam barbarismis vti barbare vo-
cantur obuiam eundi rationem tutissimam
puto, quorum tantus sensim factus est
prouentus, vt exstirpando luxurianti huic
lolio, ne sagacissimorum hominum suf-
ficerit diligentia. Serena igitur fronte
primos hos meos qualescumque conatus
subleuate VIRI EXCELLENTISSIMI, qui tuen-
dis euchendisque optimarum artium stu-
diis omnes meae sortis homines honestis-
simo VOBIS vinculo obstrinxistis. Sane
vos estis, quorum incredibili clementia,
cura atque contentione factum est, vt
non vni cuidam regioni, sed toti GERMA-
NIAE cultissimorum iuuenum coloniae
subinde ex academiis submittantur. Per
vos multi in academiis viuunt, per vos
discunt, per vos dulcisimo sine fortunae
discrimine otio perfruuntur. Tot tantis-
que VESTRIS in rem litterariam meritis
hunc vnum adiicite cumulum, vt libel-
lum huncce indignorem, quam vt tan-
tum tamque ILLVSTRE decus prae se ferre
posit, benignissimo VESTRO adspectu dig-

nemini. Quod mearum est partium,
numquam delinam vota pro salute VESTRA
nuncupare: supplex potius DEVU M IMMOR-
Talem venerabor, ut felicitati VESTRAE tafe-
quam cumulum accedere itibeat, perpe-
titatem. Valete ORNAMENTA germaniae.
Scripsi HALAE magdeburgicae in paedago-
gio regio vi. id. apr. an. CICCI CC XXXX.

PERILLVSTRI, REVERENDISSIMO,

GENEROSISSIMIS NOMINIBVS

VESTRIS

deuotissimus

GOTTHILF CHRISTOPH BAKIVS.
MAGDEVRG.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

GOTTHILF CHRISTOPH. BAKIVS.

LAtinae linguae, quae arctissimis antea finibus continebatur, tanta est amplitudo atque utilitas, ut quam ipsi ea in re non dicam anteponendam, sed comparandam arbitrer, nullam omnino ex tanta linguarum varietate inueniam. Contigit ipsi, quod nescio an vlli, ut praeter miram, qua cunctis se commendat, suavitatem, cultores quoque habeat per terrarum orbem doctissimos constanteque fama atque omnium sermone celebratissimos. Testantur illud historiarum oblectamenta, scientiarum optimarumque artium ambitus, monumenta antiquitatis, quae hac potissimum lingua ad nostram aetatem peruererunt nulla posteritatis obliuione deleta. Habemus igitur, quam iam dudum exceptarunt viri acutissimi, linguam paene vniuersalem: cuius fines tam longe lateque patent, ut cum absentibus mortuisque non minus, quam praesentibus atque viuis colloqui, animi sensa exprimere atque consociationem communem seruare possimus.

Culturam iccirco tam praeclarae linguae necessariam esse qui neget, credo fore neminem. Infinita paene sunt, quae a littera-

PRAEFATIO.

rum cultoribus requiruntur, ac longum esset accuratum scientiarum artiumque censum instituere, quibus studiosa iuuentus imbuvi rilisque aetas innutrirri ac corroborari solet. Vnicus infinitarum linguarum campus spatiofissimus ingenia satis vel exercere vel defatigare potest: vt vita vel longissima non sufficiat omnibus addiscendis. Optime igitur reipublicae litterariae, quae, discussa ignorantiae anilisque superstitionis caligine, ad pristinum suum splendorem rediit, consulitur, quod unam cuncti ciues linguam, vnum sermonem foedere quasi inito in condendis litterarum monumentis adhibeant, eosque omnes tamquam barbaros ex ciuitate eiificant, qui nondum tirocinia et documenta eruditionis in latine vel scribendo vel loquendo posuerunt. Et felix foret respublica, nisi indignissimi nonnumquam ciuitatem nacti tristissimas ipsi turbas excitarent.

Verum bilingues multi videntur paullatim a domestico et externo sermone degeneres. De debita nimirum linguae latinae cultura parum in scholis solliciti cruda adhuc studia in academias propellunt, illotis, quod aiunt, manibus sublimiorum scientiarum sacra conspurcant, et nouo genere audaciae prius formati esse volunt quam formari. Cuius quidem consilii quos fructus per omnem vitam percipient, si alia deessent huius rei documenta, ex ea ipsa, quam sectantur praeposta viuendi

P R A E F A T I O.

di differendique ratione intelligitur. Ad altiora enim, vt sibi videntur euecti, pro libertate, quam crepant, academica, illud vnice per omnem diem agunt, vt in auditoriis rari in cathedris barbari, in disputationibus publicis et priuatis ridiculi atque elingues adpareant.

Nati inde sunt barbarismorum, vti vocantur sectatores, de honestamenta illa reipublicae litterariae, qui vel labra vix diducunt, quin sermonibus suis noua et inaudita vocabula eructent. *Imponenda quidem noua nouis rebus nomina*, vt princeps ille romanae eloquentiae CICERO, cuius res gestae maximaque in rem publicam atque litterariam merita nulla posteritatis obliuione extinguentur, non solum FIN. L. III. concessit, sed etiam variis adductis rationibus stabiliuit. Sed quemadmodum multa recens inuenta videntur, quae veteribus cognita iam dudum atque perspecta suisque insignita nominibus fuerunt: ita nobis, quod CICERONI eiusque aetatis hominibus haudquaquam licet. Linguae, vti vocari solent, viuae variis mutationibus sunt obnoxiae, noua subinde vocabula excogitantur, alia non numquam construendi iungendique ratio obtinet: vt vestium instar, aliam saepius formam induisse videantur; quod vero in ceteris, quarum vulgaris vsus iam dudum cessavit ferri non potest. Ludibrium sane deberet prudentioribus, qui togam commune illud veterum ROMANORVM vestimentum

P R A E F A T I O.

tum immutare eiusque plicas alia ac lapides
monstrant ratione adstringere temerario ausu
fusciperet. Quis enim hac ratione barbarum
a ciue, PARTHVM, SCYTHAMQUE ab homine ro-
mano dignosceret? Nouorum vero vocabu-
lorum fabricatores longe illis stultitia atque
temeritate antecedunt. Aliorum enim cer-
uicibus iugum intolerabile imponunt, dicta-
toria quadam auctoritate noua excogitant,
barbara defendunt, ius ciuitatis sibi solis vin-
dicant, clarissimis rebus tenebras offundunt,
latebras obscuritatis seu potius ignorantiae
quaerunt, et tamquam sempiterna reipubli-
cae litterariae offusa nox esset, ita ruunt in
caligine, omniaque miscent, ut mirum vi-
deatur, cur non SIGISMVNDSchismam potius
quam somnia sua defendant atque in ciuita-
tem recipient. Aequum itaque fuit, ut ob-
uiam iretur eiusmodi hominibus, quorum
inscitia atque oscitantia antiqua illa latini fer-
monis integritas paene amissa foret. Laborat
nunc eorum fides et conquisitis antiquitatis
reliquiis vsu ipso edocemur *latinam linguam*,
non modo non inopem vt vulgo putant, sed lo-
cupletiorem etiam esse, quam graecam. C.I.C.
FIN. L. I. Abundat verborum varietate, splen-
dore atque ornamentis, ut nihil neque di-
uinum neque humanum cogitari possit, quod
non proprie, commode, signate vel expri-
mat vel adiectis rerum circumstantiis declaret.
Non ergo adparet, cur fordes malint, quam
puri-

P R A E F A T I O.

puritatem atque elegantiam sermonis, qui in clarissima saepius academiae luce positi alto puluerem scholasticum supercilium contemnunt.

Sed felix est nostra academia, cui a primis quasi incunabulis numquam viri doctissimi defuerunt, qui de omni re litteraria, artibus scientiisque immortaliter meriti, integritatem quoque romanae linguae sartam tectamque ad posteritatem transmittenent. Paucorum tantummodo, ne praefatio in volumen excrescat mentionem iniiciam. Numquam de indefessa diligentissimi CELLARII cura, studio atque labore gratissimus sermo conticescet: posteritas ipsa celeberrimi SCHVLZII nostri memoriam, qui accerrimum se semper rei romanae totiusque antiquitatis vindicem praebuit venerabunda excipiet: et qui in primis nominandus fuisset, illustris HEINECIVS, fulgentissimum fridericianae nostrae iubar, et iucundum eruditis nomen, exemplo suo illustri satis monstrauit, grandibus etiam viris non turpe esse de ROMA antiqua bene mereri; cuius *fundamenta stili cultioris* multos eosque viros grauissimos, ut iunctis tam praeclaro operi viribus manus admouerent, excitarunt, ac ciuitatem latinam barbarorum impetu prope labescentem robore firmissimo suffulcirent: ut adeo academiam nostram, restauratricem, custodem, conseruatricem antiqui illius sermonis rectissime dixeris.

Quam

PRAEFATIO.

Quam praerogatiuam summo sibi iure pa-
laestra fridericana vindicat: quum et veri-
tatum caelestium interpretes atque alumni
cultores ac vindices viuae et antiquae Q Y I R I-
T V M linguae e medio eius exstiterint. Quid-
dam sane portenti simile esse videtur, de re-
bus diuinis atque theologicis pure, perspicue,
ornate, latine, loqui posse: quod VIR SVMME
REVERENDVS, atque verum ordinis nostri the-
ologici ornamentum D. BAVMGARTEN non so-
lum facere instituit, sed pro ingenii, quo flo-
ret, acumine, felicissime praefstitit. Ne in
re apertissima nimium longus esse videar:
programmata tanti viri raptim quidem horis-
que subsecuius elegantissime tamen perscrip-
ta oculis omnium atque iudicio expono, cer-
tissime persuasus dictis illa fidem esse factura.
Et quum teste COTTA ingenuo *romano* apud
**CICERONEM ipsa collocatio conformatioque ver-
borum perficiatur in scribendo, non poëtico sed**
quodam oratorio numero et modo, cic. orat.
lib. I: numerum, illum, qui maxime ornat
sermonem, vbiuis sollertiaffe esse seruatum
deprehendimus cum mira quadam scitaque
suavitate. Sufficere haec potuissent animum-
que ab omni alia cogitatione ad illa publi-
canda traducere: sed accesserunt aliae, quae
opus maturarunt causae grauissimae.

Iam dudum nimirum programmata illa,
scholaftica potissimum, viu ipso atque aesti-
matione bonorum omnium vel distracta o-
mnino,

P R A E F A T I O.

mnino, vel ad tantam paucitatem redacta fu-
erunt, vt ne precibus quidem cupide illa per
litteras efflagitantium satisfieri potuerit: adeo
vt propter argumenti dignitatem stilique ex-
cellentiam maximum eorum desiderium con-
sequutum atque collectio eiusmodi exopta-
ri coepit fuerit. Quae animaduertens bi-
bliopola, vir honestissimus, atque perquiri-
tantium desideriis excitatus adiit VIRVM SVMME
REVER. multisque precibus ab eo contendit, vt
illa non singula ac separata, quod vix operaे
preium esse, nec suis aliorumque rationibus
conducere putabat, sed in certum ordinem
redacta publici fieri iuris primo quoque tem-
pore sustineret, veritus, ne quod HALBERSTA-
DII iam tentatum foret, spes tam praeclari
opusculi sibi prorsus eriperetur. Meritissi-
mus nimirum scholae halberstadiensis modera-
tor GEORG. VENZKY pro singulari, quam lon-
go sibi vsu acquisiuit res eiusmodi diiudican-
di peritia tantam nuper ex his programmati-
bus passim circumuolantibus cepit volu-
ptatem, vt programma scholaſt. *V. de utilita-*
te pietatis in litteras redundante optimo suo
lectuque omnino dignissimo libro, qui Un-
terricht für Schüler inscribitur totum inse-
ruerit. Debitae illi habentur gratiae, quod
prouida sua atque sollerti cura effecerit, vt
quae pulueri tenebrisque iam destinata vide-
bantur in lucem demum producta nostram

memo-

P R A E F A T I O.

memoriam ad felicitatis neglectae cogitationem excitarent.

Ipse demum **VIRO AMPLISSIMO** auctor suasor que exstisti, vt quam primum posset nulla interposita dubitatione typis programmata quae saliuam iam multis mouissent exscribenda atque diuulganda curaret: qui tot demum pre cibus programmata exposcentium defatigatus, quamquam quae ab ipso parui, quae ab aliis proficiscuntur inusitato exemplo magni aestimare solet, facilem tamen se se praebuit. Nec defuerunt vñquam exempla eiusmodi collectionum. Notissima sunt, vt demestica tantummodo leuiter perstringam, **VIRORVM SVMME REVEREND. FRANCKII** VTRIUSQUE, **BREITHAVPTII**, **ANTONII** atque ordinis nostri theologici **SENIORIS D. LANGII**, quorum, quum augere velim, vereorne imminuam laudes, programmata quae dispersa antea atque disiecta, vel conquisita, vel ceteris eorum operibus subiuncta sunt. Nota etiam sunt atque peruulgata **INSPECT.** nostri **HONORATISSIMI FREYERI** programmata scholaistica, quae plurimis, vt facile intelligi potuit, pergrata perque iucunda fuerunt. Vnicum erat, quod rem prope iam explicatam perturbare atque impedire videbatur, grauissimorum nimirum negotiorum multitudo, quibus **VIR SVMME REVER.** nullo non tempore tam districtus tenetur, vt nec vlla hora a cogitationibus, meditationibus, laboribus publicis atque priuatis, vacua ipsi relinquatur.

Ne

P R A E F A T I O.

Ne vero in cassum missae preces forent, studioque denegare, quod expectabatur, vide-
retur, totam rem mihi demandare amantissi-
me constituit: quam fiduciariam operam, eo
facilius mihi permitti passus sum, quod tan-
to me fauore atque benevolentia, VIR SVMME
REVER. quam primum ipsi innotui amplexus
est, vt ingrati animi suspicione vix viderer
absoluendus, nisi de agendis quidem atque
habendis gratiis cogitarem, quas referendo
adsequi non possem.

Quamquam igitur pietas in referenda gratia
iucunda: parua tamen sunt, quae pro tot tantis
que benevolentiae, quae VIR SVMME REVER. in
me exstare voluit documentis, reddere atque
in adornando hoc opusculo praefastare potui.
Dispersa nimirum programmata, quorum ar-
gumenta mihi innotuerunt seruato temporis
ordine collegi: collecta ab innumeris, quae
irreperserant mendis erroribusque typographi-
cis vindicaui: vindicatis hac ratione at-
que purgatis annotationes quasdam, quae
rem ipsam illustrare videbantur, adieci, qui-
bus vt eo facilius a ceteris, quae VIRO SVM-
ME REVERENDO ipsi debentur, dignoscantur,
stellulas praefigendas curauit. Constitueram
antea programmata tantummodo in adspe-
ctum lucemque proferre: attamen ne opus-
culum, quod characteres *minusculi* breue iam

b

exi-

P R A E F A T I O.

exiguumque reddiderant, mutilum plane et
quasi decurtatum prodiret, mutato consilio
epistolas quoque adieci: germanico program-
mate, quod multi iam sittenter adpetunt, at-
que a VIRO SVMME REVERENDO conscriptum est,
quum docendi illi munus iussu POTENTISSIMI
REGIS BORVSSIAE in florentissima nostra acade-
mia demandaretur, in aliam occasionem re-
iecto. Nec iis operam perdidisse videbor,
qui recentiores cum veteribus coniungendos
rectissime contra alios, quibus soli veteres
placent, contendunt. Iam inde a QVINTILI-
ANI temporibus eruditi inter se dimicantes
misciuer certamina vtrum veteres recentio-
ribus an recentiores veteribus anteponi vi-
deantur QVINTILIANVS lib. X. c. 1. qui-
dam solos veteres legendos putant, neque
in vllis aliis esse naturalem eloquentiam
et robur viris dignum, arbitrantur: alios re-
cens haec lascivia deliciaeque et omnia ad vo-
luntatem multitudinis imperitae composita de-
lectant. Facile largimur, consultius esse cer-
tissimis veterum vestigiis insistere, quam
per incerta multorum recentioris aetatis bre-
via atque dumeta vagari: nibilominus, vt cum
incomparabili D. WALCHIO ordinis theologici
ienensis oraculo, praceptorē omni pietate co-
lendo loquamur: recentiores cum veteribus con-
iungendos esse existimamus partim, vt cognosca-
mus quomodo illi veteres sunt imitati, vt ex illo-
rum

P R A E F A T I O.

rum exemplis discamus applicare, et ad usum adderre, quae in ipsa latinitate profecimus, partim quia recentiores auctores viam ostendunt ad habitum de illis rebus dicendi, de quibus nostra aetate loquendum est, comparandum, quarum magna est copia, quae veteribus auctoribus fuerunt incognitae. Vbi adolescentes ad solos vetustiores scriptores accedunt, discunt quidem de rebus bellicis, ciuilibus similibusque latine loqui: sed quando dicendum est de argumentis aliis, quae aeuo nostri propria sunt, nesciunt, quomodo eleganter, quae cogitant sint exprimenda. hist. crit. latinae ling. lib. VI § III.

Opusculum ipsum tripartitum procedit. Priorem partem programmata academica, funebria ceteraque ad festorum dierum solemnia conscripta sibi vindicant. Professoris eloquentiae quidem iam inde a primis academiae annis fuit, funerum solemnia indicere: nihilominus in consuetudinem quondam abierat, ut quandocunque quis reuerendi ordinis theologici supremum diem expleuisset, aut collega aliquis, aut cuicunque illud negotium traderetur exsequiarum solemnia tenatus academici nomine ediceret. Quare factum est, ut quum SVMME VENERABILIS BRETHAVPTVS atque SVMME REV. ZIMMERMANVS egregia morte defungerentur, NOSTROQUE prae ceteris prouincia illa demandaretur, priora programmata funebria eorum nomine, qui ad

P R A E F A T I O.

semestria academiae gubernacula sedebant,
conficeret. Quae illis subiuncta sunt feriis
festisque diebus imperandis destinata, deca-
ni quem vocant officia atque partes sustinens
tamquam sua sibique propria elaborauit: si
ab ultimo discesseris quod SVMME VENER. D.
LANGII grauissima atque inopinata valetudi-
ne conflictati vices suscipiens condidit litte-
rarumque monumentis consignauit. *Alte-*
ram partem occupant programmata scholasti-
ca argumentorum selectu, verborumque ni-
tore atque elegantia maxime iucunda omni-
busque numeris absoluta. Facile adparet
condita illa esse a VIRO SVMME REVERENDO, quum
numerofae orphanotrophei iuuentuti maxima
cura summaque fide praeesset: quod adeo
non infra dignitatem suam positum esse exi-
stimauit, ut maximam potius ex iucunda
animorum contentione atque innocentissi-
morum suavitate morum ceperit voluptatem.
Nihil intermisit, quod studium acuere, desi-
deam ac torporem discutere, ardoremque qui
resederat nonnumquam excitare atque inno-
uare videbatur. Quare anno MDCCXXVII,
inspector scholae latinae constitutus, classem
selectam eadem ac in paedagogio nostro re-
gio obseruauerat, ratione ordinandam duxit,
ut alumni nimirum qui integrum annum in
classe illa suprema translegissent, cum program-
mate tamquam publico quodam diligentiae,
inge-

P R A E F A T I O.

ingenii, profectuum documento atque incitamento dimitterentur. Litterae denique, quae ad disputationum solemnia conscriptae sunt atque *tertiam* libelli huius *partem* constituunt, tantam tamque variam eodem argu-
mento vbiuis spirant suavitatem, ut facile ad-
pareat dissimilitudinem in rebus simillimis
quam maxime ornare epistolam **VIROQUE MA-**
XIME REVER. neque rerum neque verborum
copiam vniquam dcessse posse. Vale **LECTOR**
OPTIME. Dedi HALAE *magdeburgicae* in pae-
dagogio regio VI. id. apr. an. **CIOIOCCXL.**



INDEX

PROGRAMMATA ACADEMICA

p. 1 - 172.

- | | |
|---|------|
| I. In funus viri summe venerabilis IOACH. IUSTI
BREITHAVPTI | p. 1 |
| II. In funus summe reuer. IO. LIBORII ZIMMER-
MANNI | 51 |
| III. De veterum temporibus memoriae CHRISTI
vitae restituti sacris ad solemnia pascha-
toꝝ. | 77 |
| IV. De tempore spiritus DEI in primos CHRISTI
discipulos effusi opportunissimo ad sole-
mnia pentecostes. | 101 |
| V. De solemnum CHRISTI sacrorum originibus ad
diem natalem DOMINI. | 117 |
| VI. Ad difficultiora verba ROM. I. com. IIII. ad
paschae solemnia. | 145 |

PROGRAMMATA SCHOLASTICA

p. 173 - 250.

- | | |
|--|-----|
| I. Ad examen solemne. | 175 |
| II. Ad examen classis selectae. | 177 |
| III. De transitu ex scholis in academias feliciter
instituendo. | 181 |
| IV. De orationum scholasticarum argumentis
bene feligendis. | 191 |
| V. De | |

INDEX.

- | | |
|--|-----|
| V. De utilitate ex pietate in litteras redundante | 201 |
| VI. De corporis motu atque exercitatione literatis necessaria. | 219 |
| VII. De periculis et malis eruditorum. | 236 |

LITTERAE ACADEMICAЕ AD DISPUTATIONVM SOLEMNIA

p. 251 - fin.

- | | |
|--|-----|
| 1) sublpraeſidio VIRI SVMME REVERENDI habitarum: | |
| I. De loco difficiili 10. X. com. XXXIII-XXXVIII. | 253 |
| II. De precatione CHRISTI pro auertendo calice ad MATTH. XXVI. com. XXXVIII. | 255 |
| III. De dictis <i>scripturae sacrae probantibus</i> | 258 |
| IV. De CHRISTO a IUDA EIS conspiciendo ad MATTH. XXIII. com. XXXVIII. | 261 |
| V. De gradibus peccatorum | 263 |
| VI. De concilio tridentino. | 269 |
| VII. De patrum primitiuae ecclesiae feliori successu cert. | 273 |
| VIII. De discrimine eius quod naturale et morale dicitur in theologia. | 276 |
| VIII. De <i>avauagnoia ab hominibus in hac vita non obtinenda.</i> | 279 |
| X. De <i>scriptura sacra.</i> | 284 |
| XI. De <i>paedobaptismo.</i> | 287 |
| XII. | |

INDEX.

- XII. De polygamia simultanea illegitima. 290
XIII. De gradibus bonorum operum et virtutis,
 295
 2) aliis moderantibus defensatum.
XIV. De notionibus superi et inferi. 297
XV. De nonnullis ad poema pertinentibus. 300
XVI. De veritate. 303
XVII. De DIONYSIIS SICILIAE tyrannis. 306
XVIII. De veterum coniunctione matheseos cum
 philosophia, de qua in ipsis litteris agi-
 tur. 308
XVIII. De paronomasia sacra. 314
XX. De EBRAEORVM grammatica. 318
XXI. De re athletica. 321
XXII. De venae sectione. 324
XXIII. De antiquitate codicis alexandrini. 327
XXIV. De soloecismis generis codicis ebraei.
 330
XXV. De nonnullis abstractis mathematicis. 332
XXVI. De soloecismis casuum sacri codicis. 335
XXVII. De punctorum ebraicorum antiquitate.
 338
XXVIII. De affectibus. 341




PRO-

PROGRAMMATA ACADEMICA

QVIBVS

TAM EXSEQVIARVM QVAM
DIERVVM FESTORVM
SOLEMNIA

NOMINE SENATVS ACADEMICI
INDICVNTVR.



D· O· M· S·

MEMORIAE
INCOMPARABILIS· THEOLOGI

VIRI

SVMME· VENERABILIS· EXCELLENTIS-
SIMI· AMPLISSIMI

IO ACHIMI· IVSTI
BREITHAVPTI

ABBATIS· BERGENSIS· SVPREMI· SACRORVM· IN
TERRIS· MAGDEBURGICIS· ANTISTITIS· EARVM-
DEMQUE' SANCTIORIS' CURIAE' SENATORIS' S' THEOLOGIAE
DOCTORIS' ET' PROFESSORIS' IN' FRIDERICIANA' SE-
NIORIS' SEMINARI' HILLERSLEBIENSIS
DIRECTORIS

DE' ACADEMIA' OMNIQE' DEI' POPVLO
MERITISSIMI

QVI

DIE· XVI. MARTII. HVIVS. ANNI. CIO IO CCXXXII

VITA· BEATE· DEFVNCTVS

AD· DIEM· IIII· MAI

FVNEBRI· SERMONE· IN' AEDE· SCHOLASTICA
CONDECORANDVS' EST

HOC· MONVMMENTVM


L' L' Q' POS'

ACADEMIAE· FRIDERICIANAE· SENATVS

PRORECTOR E

SIMONE. PETRO. GASSERO

POTENTISSIMI· PORVSSIAE· REGIS· A' CONSILIIS· INTIMIS
BELLICIS· AC· DOMANIALIEVS· IVRJVM· ET' RERV'M· OEGO-
NOMICO· CAMERALIVM· PROESSIONE· ORDINARIO· ET
SCABINATVS· MAGDEBURGICI· ADSESSORE.





QVEM REBV^s humanis interceptum et a
statione sua euocatum morte, quod
vnum immortalitatis iter patet, ad
beatorum religionem transiisse ante
aliquid tempus tristissimo nuntio accepimus,
D. IOACH. IVST. BREITHAVPTVM, theo-
logum consummata doctrina et integritate vene-
rabilem, plures nobiscum lugent et non sine ex-
quisito dolore lacrimantur. Communis enim est
et ad plures pertinet ille acerbissimus casus, ne-
que vna, sed multiplex fortunae iactura facta est
in vno homine, plurium virorum virtutes, mu-
nera et merita complexo. Ut gentem amplis-
simam taceamus, quae se hoc ornamento et ca-
pite orbam in squalorem coniecta grauissime do-
ler, ut amicos praetereamus et familiares, qui
feralis huius casus dolore paene opprimuntur:
omnis purior CHRISTI coetus illaetibili lacri-
marum officio planctibusque prosequitur docto-
rem de se meritissimum, suae incolumitati conser-

uandae, dignitatique amplificandae per LII annos publice operato; cuius labori et institutioni sane quam plurimos diuinæ mentis interpres dignissimos, per omnem domini vineam longe lateque dispositos, acceptos refert, et ex quo numquam, nisi hac tristissima decessione, aliquod detrimen-
tum, innumera vero accessionum incrementa ce-
pit. Illa in primis sacratior respublica, quae
in terris magdeburgicis floret, vigilantissimum
hunc praefulem et supremum sacrorum antisti-
tem lugubri voce gemituque deflet, eiusque in-
defessum de sua integritate studium, curam, re-
gimen tristis desiderat. Sanctior senatus, regio
nomine rebus sacris praesidens, aegre fert amissio-
nem huius membra, quod annis laboribusque
exantlatis in illustri hoc collegio reliquis omni-
bus superius erat, prudentia, longo rerum vnu-
parata, conspicuum. Berga, coenobium, or-
bitatem suam gemit, et luctuosissime deplorat
decus suum, fulcrum firmissimum et caput lu-
get, sub quo annos XXII, et quod excurrit,
sartum, rectum, conseruatum fuit et innumeris mo-
dis locupletatum.

NOSTRA tamen academia iure quodam suo
hanc communem tristitiam propriam sibi et peculiarem vindicat, neminique de primis in hoc
moestissimo officio partibus concedit. Nostrer
enim diutissime fuit, nobis maxime nostraeque
academiae vixit, ac longissimam vitae partem
insumisit, nobis etiam maxime, o acerbissimam
fortem!

sortem! mortuus est et fato ereptus. Amisimus
 collegam aetate, beneque de musis nostris me-
 rendi diuturnitate, omnibus nobis prouerbio-
 rem: qui ab huius academie incunabulis ei ope-
 ram nauauit, et ad eius celebritatem, si quis
 alias, plurimum contulit, eius fasces bis pru-
 dentissime administrauit, saepius gesturus, fin
 reliquae occupationes impediuerunt. Ereptus
 nobis est doctor theologus: qui litteras sacras
 primus in hanc bonae mentis sedem inuenit et
 ad sublimem locum euexit: qui ea fide, soller-
 tia, dexteritate omnes sacratioris disciplinae par-
 tes docuit, vt incredibilis ad eum fieret iu-
 uenum DEO se consecrantium confluxus: qui
 vt communis theologorum nostrantium praece-
 ptor plures religiosa doctrina initiauit discipulos,
 quam alii non incelebres doctores umquam vi-
 derunt. Derelicta est tribus iuuentum inopum,
 regiaque beneficentia subfultorum, a directore,
 capite et patre suo, qui illos in familiam rece-
 ptos cura, consilio, ope sustinuit. Orbati su-
 mus boni omnes rarissimo doctrinae, sanctitatis
 et religionis exemplo, quod eximium adhuc de-
 cus nostrum et ad virtutem incitamentum fuit, iam
 triste desiderium.

HAEC lacrimabilis, numquam tamen satis de-
 flenda iactura, publico certe lucu testanda est:
 ne felicitatis nostrae, atque adeo nostri ipsorum
 incurii, aut iniqui fortunae nostrae aestimato-
 res videamur. Publicae salutis et posteritatis

magni interest, tam rarum et inusitatum inter mortales exemplum in publicum proferre, et auctoritate solemnii ad posteros transmittere. Quod itaque pietas in venerabilem senem, grata immortalium eius in rem nostram meritorum recordatio, senatus academici consultum, laudabilis nostra consuetudo, ciuium exspectatio, collegii iura, et amor denique noster postulant, ut more academico iura funebria peragantur, merita dignis laudibus condecorentur, et ipsis de immortalitate inter nos, quoad suus virtuti honor constabit, prospiciatur: extremum hoc sanctis manibus officium praestabimus, ipsisque publicum hoc monumentum, omnium conscientia suffragioque subnixum, lugentes moestique consecrabimus.

COGITANTIEVS autem nobis incomparabilis et antiquae virtutis theologi vitam, vnum is ex omni antiquitate sacra AVRELIVM AVGVSTINVM, primi ordinis in ciuitate diuina virum, ita viuendo retulisse, et alterum nobis hipponensem praefulem reddidisse visus est, ut satis ad eius laudem dixisse credamus, satis etiam ad declarandum, quantum caeli depositum in BREITHAVPTO nobis concessum et iam origini suae repetitum sit, si cum aliqua vtriusque contentione nostratem AVGVSTINVM antiquo nequidquam inferiorem fuisse demonstrauerimus. Quare venerabilem hanc priscae integritatis imaginem in BREITHAVPTO proposituri, eius ante
omnia

omnia vitam ad ipsum annorum rerumque gestarum ordinem enarrabimus, deinde singulares, quibus eminuit, virtutes concelebrabimus, ea fide, quae non solum historiam, sed grauissimam illius magistratus, quem gerimus, auctoritatem decet.

IN EO diuus AVGVSTINVS incredibilem gratiam apud posteritatem sanctiorem peperit, quod vitae partem ipse litteris consignauit, et iuuentutis errores pariter, ac infinitam numinis benignitatem, confessus est in praeclaro confessorum opere, quod singularem erga deum pietatem spirat, et legentibus dubium relinquit, maioremne ex huius partis scriptione delectationem, an grauorem dolorem ex reliqua narrationis desiderio conceperint. Eamdem ab omnibus laudum diuinarum cupidis gratiam iniit BREITHAVPTVS, quod commentarium vitae anno CIO IO CC XVIII, auctore per illustri CANSTEINIO, condidit, et post quinquennium in lucem prodire permisit, longe maiorem certo initurus, si, quo cooperat, filo, eodem illum pertexere potuisset. Hunc igitur certissimum auctorem per ipsam vitae narrationem sequemur.

SI IN republica litteraria et ciuitate dei ordines non doctrina, virtute, et meritis propriis; sed maiorum imaginibus, gentis antiquitate et prosapiae nobilitate censerentur: non tamen fuisset huic nostro de primo et splendidissimo

A S ordine

ordine dubitandum. Maiores enim habuit in hercynio tractu per plura saecula, gestis in vtrahque republica magistratibus, innumeris in litteras, patriam et religionem meritis, ac vitae sanctitate clarissimos. Quorum vestigia non consequutus solum, sed longe praetergressus est, ab illis alienissimus, qui domesticas dignitatum imagines ad gloriandum magis, quam imitandum aemulandumque propositas esse credunt. Parentes ipsi obtigerunt, felicissima nascendi forte, M. CHRISTIAN. BREITHAVPTVS, vir integerrimus, gregis christiani northeimensis pastor, et iurisdictionis hohenstedtensis antistes, et ANNA ANGELA TROSTIA, matrona ornatissima, oriunda ex gente TROSTIA, de re sacra et litteris, per MARTINVM maxime TROSTIVM, longe meritissima, quae illum NORTHEIMIAE, anno a salute parta CIO IOC LVIII mense februario inter fulgorantis et tonantis caeli fragores, ea anni tempestate inusitatissimos, in lucem enixa est, non obscuero omne, fore hunc tenellum aliquod fulmen filiumque tonitruum, omnia quoquouersum diuinitus postraturum, et salutari flamma accensurum, quales in diuinis oraculis IACOBVM et IOANNEM ab ipso CHRISTO vocatos legimus MARC. III comm. xvii.

QVOD AVRELIO a parentis PATRICII cura valde destituto piissima MONICA fuit, fuit idem nostro religiosissima ANNA mater: in cuius procurationem concessit, postquam vix quadrimus patrem

etrem immaturo fato amiserat, cuius etiam ardentissimis apud DEVVM supplicationibus, vigiliis, adhortationibus, longeque sapientiore, quam vel a patribus plerisque proficiisci solet, cura et educatione effectum est, vt, summi numinis amore et consuetudine a teneris mature initiatus, primum aetatis florem a corruptione intemeratum transigeret, et annos, accelerato virtutis ac religionis, quam cum lacte inbiberat, gradu superaret. Quamobrem, beneficiis maternis AVGVSTINO aequalis, grati animi testificatione ipsi secundus esse noluit. Nam sicut ille libro confessionum III et VIII matris amabilem et venerabilem consignauit imaginem: ita etiam noster MONICAE suae castam virtutem, modeste quidem, at digne et grauiter collaudauit, pietatis monumento, quod ipsi vita functae erexit anno CIO IO CC IIII, dignum sane, vt omnium seminarum manibus teratur et matribus familias exemplo perenni proponatur. Partem oneris et curarum sustinuerunt, atque in formando fratre natu minimo eximie elaborarunt tres fratres aetate maiores: quorum primus M. CHRISTOPH. ANDREAS BREITHAVPTVS, scholae patriae moderator, patris prouinciam, quae ipsi cum hereditate testamento tradita fuerat, adeo administrauit praecclare, vt NOSTER patre orbus patrem non desideraret, in eiusque disciplina inusitatae doctrinae tirocinia poneret.

FVIT

FVIT IN hoc BREITHAVPTVS multo felicior AVGVSTINO, quod ille admodum puer, litterarum causa MADAVRAS in ludum grammaticum missus, a domo et a MONICA sua abfuit, vnde demum ephebus factus rediit, cum insigni bonae mentis detimento: NOSTER in patria vrbe et domo sub circumspectae matris fratrumque cura adoleuit, et periculosisssimam vitae partem transegit, cum magno illibatae religionis incremento. Refert AVGVSTINVS, se inter reliquas litteras, quibus tenera aetas illis temporibus imbui confueuit, praecipuo quodam oratorum et poetarum amore conflagrasse, totumque fuisse in VIRGILIO legendo, erroribus AENEAE et DIDONIS calamitatibus plorandis. Eodem naturae impetu BREITHAVPTVS puer ferebatur ad oratorium et poeticam artem, illa erectiorum ingeniorum oblectamenta, omniumque disciplinarum antiquissimas. In reliquo quidem puluere scholastico nihil partium suarum, diligentiae et contentio- nis reliqui fecit, linguarum elementa, historiam, philosophiam omnem, indefessus didicit: quoties tamen aliis laboribus perfuncto oriari licebat, poetae sibi illum vindicarunt, quos graecos et latinos diurna nocturnaque manu versauit, et praestantissimis floribus decerptis, atque in vsum futurum congestis, imitari conatus est. MARONEM vero, qua erat iudicandi felicitate, ita prae reliquis adamauit, ut memoriae traderet omnem, eiusque heroicam dictionem suam faceret. Atque

que ut ex his studiis aliquis fructus ad rem divinam rediret, cui se totum viuere existimabat: prouerbiorum SALOMONIS versionem poeticam ab illo iam tempore molitus est. Tantum abfuit, vt his litteris a religione, quod multis tamen accidit, diuelli se pateretur.

SIC Igitur formatus de sententia fratrum, qui nil diutius ipsum morati e laribus egressum in illustri luce vires suas experiri, aemularique ingenia voluerunt, anno aetatis XVIII, saeculi superioris LXXVI, academiam IULIAM adiit: quae non loci solum propinquitate, sed celebritate professorum, CHRISTOPH. SCHRADERI maxime, et HEINRICI MEIBOMII, in oratoria et poesi insignium, ipsum attraxerat. Habuit hic doctores per orbem, qua litteris colitur, longe excellentissimos, GERHARD. TITIVM, ANDREAM FROELINGIVM, cuius iucundissimo etiam conuictu usus est, et WIDEBVRGOS fratres, qui erectiorem huius adolescentis indolem, incredibilem industriam et arripiendi, quae proponebantur, celeritatem experti, ipsi ad recondita et interiora litterarum penetralia contendenti facem fidi praetulerunt, neque committendum putarunt, vt ingenium non mediocre, sed excellens et ad omnem praestantiam factum, mediocriter coleretur.

QVAS AVGVSTINVS CARTHAGINEM, ad locum plerissimum illo tempore eruditionis mercatum, profectus litteras coluit philosophicas, lecto CERONIS HORTENSIO excitatus et in ARISTOTELIS cate-

categorias aliosque libros delatus, in quibus mire profecit: easdem BREITHAVPTVS HELMSTADII imbibit ex fidelissima philosophorum, quibus audiendis operam dedit, institutione haustas; ita tamen, ut caelestem doctrinam, cui se maxime deuouerat, non negligeret, sed maxime etiam colereret. Nec fuit, cur ipsum huius industriae in vtraque eruditione positae vñquam poeniteret: etenim cum deinde in litteris sacris docendis omnem vitam consumsifit; ipso euentu comprobatum vidit, non sine prouidi DEI cura et præfagae mentis moderamine factum esse, ut theologiam etiam scholasticam, quam vocant, disceret, et philosophicis litteris ingenium ad rectum veri falsique sensum, notionesque rerum distinctias et adaequatas subigeret. Vicesimo aetatis anno emensus stadium academicum, omniumque aequalium admirationem, praceptorum, quibus quotidianas et insignes litterarum progressiones mirifice probauerat, laudum testimonia et apparatissimam omnis doctrinae elegantioris, reconditae et sacratioris scientiam consequutus: secessum litterarium, quem fore in rem suam intelligebat, felici opportunitate BRVNSVIGÆ et GVELPHERBYTI inuenit; vbi biennum exegit in recolendis digerendisque lectiōnibus academicis, et praceptoris oratoriis celeberrimi SCHRADERI ad vsum conferendis. AVGVSTINVS in foro per aliquod tempus versatus, primam suam in dicendo operam cauſis agendis ad-dixit

dixit: primus facile in hac iuris eloquentia futurus, nisi internis stimulis ad rem diuinam reuocatus, cum hac eloquentia litigiosa diuortium fecisset. BREITHAVPTVS, certius et deliberatus iter ad bene merendum de re sacra ingressus, quam sibi naturae beneficio concessam et rhetorum cura excultam cognoscebat eloquentiae facultatem, eam omnem ad caussam DEI in concionibus sacris agendam, hominumque animos ad religionem flectendos, impendere elaborauit, adeo felici successu, vt inter oratores facros paucos haberet pares, superiorem neminem. Obtigerunt ipsi in hoc otio duo consummata ad imitandum exempla oratorum, CASPAR CRVSIUS, serenissimi terrarum brunsvicensium principis a rebus sacris, et D. BRANDANVS DAETRIVS, abbas supremusque sacrorum guelpherbyensium antistes: quorum prior in dictione concisa et colorata, posterior in periodica et ponderosa excellebat. Hos admiratus, imitatus, aemulatus est: ita, vt ad BRANDANI virile robur proprius accederet, eumque in dictione et actione felicissime exprimeret, in cuius etiam consuetudinem penitus se immersit, paterna eius consilia et auctoritatem pie veneratus.

AVGVSTINVS THAGASTAE, in patrio municipio, grammaticum agere, atque in scholastico puluere, molestiarum et fastidiorum plenissimo, desudare coepit: cuius tamen mox pertaesus, ad alia contendens et academicam celebritatem nobilius-
que

que litterarum genus desiderans, eo se paullo post ipse abdicauit; licet non paucos haberet, qui ludum frequentarent et praeeuntem indefessi sequerentur. Eamdem prouinciam NOSTER ornandam suscepit anno CIO IOC LXXX, quum illustris gymnasii guelpherbytani moderandi secundas partes, quas correctoris vocant, subiret, auctore potissimum et suasore venerabili BRANDANO, sacramento etiam voluntatis paternae permotus, quo cautum erat, ne BREITHAVPTI fratres primam quamque prouinciam ipsis oblatam recusarent. In hunc fundum diuinis auspiciis rite immislus adeo sancte, caste et indefesse illum coluit, vt eius laboris, licet breuioris, amplissimos fructus ferret, magnamque exspectationis de se excitatae accessionem faceret. Quidquid ex solida linguarum notitia, earumque caussis reconditis, ex antiquitate remotissima, historiarumque monumentis, scriptorum elegantissimorum, qui ob praefstantiam classici nominantur, lectione, ex rhetorum praeceptis et philosophorum disputationibus, omni denique litterarum apparatu ad scholarum vsum conferri potest: id ex doctrinae opibus depromsit, habitoque rerum delectu ad intelligentiam tironum accommodauit. In primis ad latinitatem, bene, copiose et ornate dicendi, recteque sapiendi artem ex ipsis fontibus antiquis hauriendam suis se ducem praebuit: quibus sine ambagum circuitionibus, in eo studiorum genere vfitatissimis

mis, idem expeditum facileque iter, quod
ipse decurrerat, ad humanitatem praeiuit. Qua la-
boriosissima opera aliis forte satisfecerit, qui praes-
ter litterarum culturam in paedagogo nihil des-
iderant quidquam: sibi nullus videbatur parti-
bus suis satisfacere, nisi eamdem operam in iu-
uentute ad bonam mentem, veram sapientiam,
animi morumque integritatem formanda collo-
care, et sollicite prouideret, ne virgiliani et
ciceroniani magis, quam christiani euaderent
pueri, non ad umbram, sed ad vitam, ad salu-
tem publicam, ad ipsam aeternitatem singendi.
Quam ob rem sollertia dexteritate non solum
vbi litterae sacrae docendae fuerunt, sed ipsae
reliquae omnes, quas quotusquisque non arbit-
ratur a sanctiore doctrina et vera in DEVUM pie-
tate alienissimas? scite in pectora iuuenum inuo-
lare, eorumque animos a virtute ad virtutem trans-
ducere, sanctis commotionibus afficere, DEO-
que familiarius conciliare fategit. Peculiarem
opem praestitit accessuris ad sacra christianorum
mysteria, quos singulos, antequam sacerdotem
adirent, se conuenire, animum excutere, de
corruptione dolere, et nuntio rebus omnibus
missio, serio cum DEO in gratiam redire iussit,
quibus, aliisque religiosis exercitiis magnam ho-
rarum partem, et plerumque diem primum san-
ctiorum transfigere solebat. Neque inanis fuit
haec opera, quam DEVS ita fortunauit, ut felici-
ees hos successus pignoris et boni ominis instar

haberet, ad optima quaevis a propitio numine
in reliquis suis publicis laboribus speranda.

VIX ANNVM expleuerat in hac bonae mentis
officina strenue elaborans, quum pestis vicinas
terras peruagata, et ad has oras progressa, soli-
tudinem vbius et scholarum in primis missionem
subito imperauit. Qua re factum est, vt, dum
iuuentus litterarum studiofa sarcinas colligit et
fugam meditatur, noster BREITHAVPTVS ani-
mum sanctissimis igniculis inflammari, et ad alia
omnia stimulari sentiret, atque receptum cogi-
tare inciperet ex hac arena ad theologicas litte-
ras magis colendas, illas quondam delicias suas,
a quibus se diuulfum esse moleste ferebat. Ini-
tio quidem his stimulis resistit, veritus, ne in-
tempestiue et inauspicato mutationem subeat,
DEO rem permittit, eumque ardentissime obte-
statur, vt hoc affectu, magis in dies magisque
aucto, liberetur. Verum vt excelsis ingeniis
praesagia rerum futurarum inesse, et incitamen-
ta ad altius enitendum diuinitus indi solent: ita
hic ardor eundo vires acquirit, et ipsa diutur-
nitate, quae inordinatos impetus minuit, auger-
tur. Subductis tandem rerum suarum rationibus
in hac statione cum ipso vitae discrimin'e perman-
endum sibi esse duxit, donec aliqua diuinae vo-
luntatis significatione et indulgentissimi principis
RVDOLPHI AVGVSTI auctoritate dimitteretur. In
mediis his turbis aliquis opulentior iuuenis, san-
ctiori disciplinae consecratus, ex academia IULIA
domum

domum commigraturus, studiorum comitem et moderatorem desiderat, qui doctoribus helinstiensibus vnu omnium accommodatissimus videtur BREITHAVPTVS. Re itaque ad patriae patrem delata, cuius singularem fauorem sibi conciliauerat, et speciminibus poeticis et sermonibus sacris a principe frequentari solitis, emigrationis veniam impetrat, aegrius quidem, nec si ne dolore sapientissimi ingeniorum arbitri, atque habita oratione ultima solemni, post edita, *de pietatis cultu in scholis necessario*, prouincia adeo praecipue administrata decedit, xv mensium labore laudabiliter perfusus, omniumque, quibus eius industria innotuerat, laudibus exornatus.

CVM HOČ igitur studiorum socio KILONIVM, celebre eruditorum pariter ac mercatorum emporium, petit eodem anno CIO IOG LXXXI: per magni sua referre arbitratus, KORTHOLTOS, WAS-MVTHOS, FRANCKIOS, MORHOFIOS, aliosque litterarum vindices, audire, iisque ducibus dulcissimos rerum sacratum fontes repere, litteras sanctiores limatius retractare, magnumque horum studiorum opus sancte et ex *voto* perficere. Atque hos quidem omnes suspicit, frequentat, sequitur et veneratur: in vnum tamen KORTHOLTVM animo et veneratione desigitur totus, in eius familiam, coniugium et intimam consuetudinem concedit, eius lateri et ori ira adhaeret, vt filius patrem maiori pietate colere nequeat, quam KORT-

PROGRAMMA

HOLTVM suum coluit, ex quo intra fandonem admissus ab eius ore peperit. Eminebat consummatus ille theologus exquisita historiarum sacramrum notitia, controuersiarum sanctiorum, bellorum in coetu CHRISTI gestorum, diuinaeque militiae peritissimus erat, prudentia insuper et sapientissima regendae ciuitatis sacrae dexteritate insignis, atque oraculorum sacrorum interpretatione nemini secundus. Hunc praeceptorem consequutus BREITHAVPTVS non tiro et rerum sacrarum expers, sed omnem theologicarum litterarum campum iam emensus, maturo animo et ad diiudicanda opinionum discrimina meditando docendoque subactus, non potuit non insigniter proficere et longe vltra mediocritatem progredi. Primam operam hic posuit in examinandis verae doctrinae, diuinis oraculis fulta, errorumque diuertiis, atque litium nefandarum vicissitudinibus inuestigandis. Eorum potissimum, qui in pontificis romani castris contra CHRISTI disciplinam puriorem militant, offucias, si quis alias, discussit, et moderatore KORT-HOLTO disputauit de *disputandi processu papistico*. Deinde vterius progressus reliquam errantium familiam visitauit, si quid impeditum dubiis offendit, sollicita veri disquisitione expediuist, et sedulo elaborauit, vt non praeiudicatas doctorum opiniones imbibisse, sed firmissimo demonstrationis diuinae fundamento subnixus et in verro corroboratus videretur. Postea auctor KORT-HOLTO,

HOLTO, theologie experientissimo consultissimo, moque, extitit explicandi casus difficiliores, et prudentiam in sanctiore prouincia necessariam praepciendi, vnde ingentem ad omnem vitam muniaque grauissima vtilitatem cepit. Praeter haec commoda, quae ex hoc doctore habuit cum aliis communia, benevolentiam specialem numquam satis praedicari posse, semper professus est, licet pro grati animi religione mirifice praedicaret. Ut verbo dicamus, tanti fecit BREITHAVPTVS KORTHOLTVM, quanti AVGVTINVS AMBROSIVM, hoc est, longe maximi, quem, ex AFRICA MEDIOLANVM profectus, diuinitus sibi datum accepit doctorem et parentem, a quo, ex errorum anfractibus ad rectum doctrinae caelestis tramitem transductus, atque ciuitati sacrae non vindicatus modo, sed ad magistratus etiam in ea gerendos praeparatus fuit. Eius insigni doctrina, sapientissimis sermonibus, morum castitate et venerabili integritate, adeo commotus fuerat, vt, licet ipse alios iam satis diu docuisset, in huius tamen se disciplinam traderet, huic se formandum fingendumque permitteret, huius imaginem per omnem vitae decursum exempli instar ad imitandum intueretur.

NOTIOR est et longior, quam vt huc transferatur, felicissima mentis conuersio, quae AVGVSTINO euenit, eumque mouit, vt secessum a laboribus vacuum quaereret, ea que digereret, quae ex AMBROSIO hauserat, quem in agro me-

PROGRAMMA

dolanensi, et post in AFRICAM reuersus, THAGASTAE opportunum habuit, sibique vtilissimum re ipsa comperit. BREITHAVTVS, qui, indulgentia venerandi theologorum ordinis, scholas theologicas aperuerat, suamque fidem et operam in sermonibus sacris habendis, dogmatibus theologicis, examinando et disputando inuestigandis, aliisque studiis, auditoribus addixerat, operaे pretium fieri credidit, si a laboribus, discendo docendoque exhaustis, per tempus ante vacaret, quam ad nouos grauioresque labores requireretur. Quod otium non vtilius locari posse putauit, quam in peregrinatione litteraria ad celeberrimos doctores et academias. Illustrauerat eo tempore non magis FRANCOFVRTVM, quam omnem coetum CHRISTI puriorem, beatus SPENERVS, incredibili doctrina incertum, an pietate et indefesso bene de CHRISTO merrendi studio, excellentior, innouueratque *piis desideriis*, quae in academiis multos ad bene sperandum, laborandumque excitauerant. Hunc igitur visurus FRANCOFVRTVM aduolat, inde ARGENTORATVM ad SEBAST. SCHMIDIVM aliosque progressurus. Verum non citius SPENERVM conuenit et familiarius cognoscit, quam, eius amore captus, peregrinationis consilium mutat, eiusque perfundi desiderio FRANCOFVRTI tenetur, atque in hoc antistite eum gregis pastorem, quem KORTHOLTUS praeceptis traididerat, viuum praesens intuetur, concatenatam supplicationum, medi-

meditationum, laborum et certaminum seriem,
 vitae domi et foris gestae sanctitatem, prudentissimam
 animorum curam, incredibile studium
 CHRISTI dignitatem in terris vindicandi et ampli-
 ficandi cum admiratione veneratur. Sicut et-
 iam SPENERVS ita illum peramare coepit, ut, quan-
 tum huic per omnem vitam, tantum reliquo-
 rum theologorum deferret nemini. Facundum
 simul, diuinumque in fletenda concione robur
 HOLTZHVSII non sine delectatione audiuit et in usus
 conuertit. Iisdem his auctoribus statuit, DEO
 ad operas publicas ipsum vocanti obsequi, quod
 adhuc recusauerat, infra mediocritatem de se
 sentiens, admodum, qua erat animi modestia,
 viribus suis diffisus. Iam difficillima erat optio,
 et prouinciarum, ad quas simul euocabatur, di-
 iudicatio, quam aliis prudentioribus integrum
 reliquit, atque illis voluntatis diuinae nuntiis KI-
 LONIVM redire decreuit, quorsum inopinatus
 vocabatur, et prouido DEI nutu destinatus plu-
 ribus videbatur. CATTORVM academias, ludo-
 uicianam et marpurgensem, in transitu salutat,
 et ex morbo, quo in itinere ad mortem decu-
 buerat, aliisque discriminibus spartam formandi
 oratores sacros seu professionem homileticam,
 ad quam natura multoque usu factus erat, capes-
 sit, habito auspicali sermone de homileticis diffi-
 cultatibus. Nactus hunc campum, in quo per
 omnes litterarum diuinarum partes excurrere et
 in eloquentia sacra, tamquam possessione pro-

pria, subsistere, omnemque doctrinam suam explicare posset: in hanc cogitationem totus incubuit, ut auditoribus, diuinae mentis interpretibus, DEIque ad populum internuntiis futuris, ea proponeret, quae in omni sanctiori officio momentum haberent. Quam ob rem non aliquam pro sacris rostris declamandi artem, non lenocinia verborum, ad circumueniendos imperitos comparata, non circumforaneam illam verbositatem et blaterandi procacitatem docuit, quas pestes ciuitatis DEI ipse detestabatur: sed prudentiam mysteria sanctissimae religionis clare, distincte, copiose et grauiter eloquendi, oracula DEI et doctrinas inde desumptas feligendi, quasuis suo loco discrete et electe proferendi, omnia denique ad illum finem dirigendi, ut populus erudiatur, instruatur, ad DEVVM fleclatur et vere emendetur. Eo animo publice explicauit AVGUSTINI, ad cuius similitudinem proxime accedebat, IIII libros de doctrina christiana, eorumque epitomen edidit insignitam nomine *institutionis hermeneutico-homileticae*. Et quod experiundo didicerat; oratorem sacrum nasci et innutriri debere ipsis diuinis oraculis: potissimum operam nauauit ad sacratissimas vtriusque foederis tabulas in eruditis circulis pralegendas, explicandas et ad oratorium usum applicandas; ut olim haberent auditores, vnde singula dogmata depromerent, probarent et ad emendandos suos adhiberent.

NVM-

NVMQVAM AVGVSTINVM in annalibus legimus magis anxium et de rebus suis sollicitum fuisse, quam vbi ad operam suam ecclesiae praestandam renitens admouendus fuit. Quot gemitus, lacrimas et lamentationes fudit, cum HIPPONE ordine sacro initiatetur! Quam aegre a se impretrare potuit, ut VALERIO praefuli, vices suas in populo erudiendo in ipsum transferenti, morem gereret! In similes angustias redigebatur BREITHAVPTVS, quoties de statione mutanda, aut vna ex pluribus oblatis feligenda, deliberandum fuit, fuit autem saepissime. Anno CIC LXXXV ad quinque loca simul distrahebatur. Non poterat enim tam benignum sidus populo DEI exoriens, quod radios late spargere cooperat, ita obscurum latere, ut non omnes, si quod ipsis lumen extinctum erat, aut locus a luce vacuus, illo collustrari, eoque omnibus modis, potiri cuperent. Facit NOSTER, quod sidum DEI seruum facere decet, DEO rem commendat, animum in omnem partem versat, et euidentissimam diuiuae voluntatis significationem consequutus sibi videtur in theologorum prudenterissimorum, quos in consiliorum societatem assumferat, auctoritate, et mirabili somnio, quo ipse sibi apparuit stipatus cohortibus angelorum, conceptam formulam canentium, DEVIS custodit omnes tuas vias, ut illarum nulla pereat, ad serenissimum ducem saxonem, BERNHARDVM, in aedem meinungensem delatus. In huius igitur

B 5

piissimi

piissimi principis, patre, ERNESTO, vnanimi omnium suffragio, pio, dignissimi filii, aulam commigrat: postquam pro consequendi supremi honoris theologici copia disputauit *de ministerio euangelico*, et cimbricas musas solemniter valere iussit, ibique principis ab audiendis confessionibus et habendis sermonibus sacris futurus, atque in sanctiore tribunali locum occupaturus. Quo breuius tempus in hac statione transacturus erat, eo felicius et auspicatus omnia ipsi euenire voluit benignissimus DEVS, vt eius merita de hoc loco non ex fastis aut diuturnitate, sed fructibus, aestimanda sint. Totus id egit, vt, quam aliis praeceperat curam animarum, medicinae aemulam, moderandaeque reipublicae sacrae prudentiam ipse iam praestaret et viuendo exhiberet: quod suum studium multum extimulari et iuuari deprehendit constitutionibus ernestinis religiosissimis, quibus populi erudiendi per interrogantis respondentiumque reciprocationes, coetuumque solemniter lustrandorum cura illis, ad quos pertinet, sancte imperata fuerat. Harum longe obseruantissimus fuit, et praeter alias census, quibus multorum coetuum iurisdictionem absolvit, auctoritate principis anno CIO IDC LXXXVI lustravit gymnasium schleusingense, cui tunc praeerant SCHADIVS rector, et D. CHRISTOPH. SONNTAGIVS, ephorus facrorumque in ipsa vrbe antistes. Plura moliebatur, omnis in illam sanctissimam cogitationem conuersus, vt, quantum fieri

fieri posset, illibata religionis castitas in his terris floretet, plura etiam sine dubio pro insatiable laborum voluptate praestiturus, nisi DEO, mortalium res ex arbitrio moderanti, aliter res placuisset. Is enim anno CIO IOCLXXXVII BREITHAVPTVM per quatuor nuntios, publico nomine ablegatos, ERFVRTVM concedere iussit, iudice tam supremo, qui rebus sacris saxonics praesidet, senatu dresdensi, ad quem haec caussa deferebatur, quam ipso serenissimo principe, qui fidem ab ERNESTO PIO datam de theologo ciuitati erfurdensti opportune olim permittendo, qua erat aequitate et indulgentia, liberatum iuit.

QVA RE NOSTER diuinae vocationis certior factus, meinungensem stationem cum erfurtensi commutauit, in qua ad aedem primariam, quam praedicatorum vocant, gregis sanctioris pastor, omniumque in illa ciuitate sacris purioribus operantium ephorus constituebatur, collegii, quod rem diuinam procurat, praeses simul et augustanae confessionis theologiae professor ex more maiorum futurus. Hanc amplissimam prouinciam ut eo rectius ornaret, erfurtenses academicam doctoris theologi dignitatem ipsi KILONII conferendam munifice curarunt. Quam consequuturus laudabile iusiurandum, ex eius academie consuetudine, conceptis verbis iuravit, velle se omnes docendi loquendique modos fugere, qui legitimam erroris suspicionem facerent, et litium inutilium materiam paeberent. Quo minus

minus temere existimandus est turbarum ipsi
motarum occasionem umquam dedisse: sed com-
munem excellentium theologorum, vel longe
innocentissimorum sortem subiisse, qui, si alio-
rum inuidiam semel excitarunt, nihil adeo ve-
rum et rectum dicunt, quod non cauillando per-
uertatur. ERFVRTI multiplex onus ita sustinuit,
ut exspectationem et aliorum et suam ipsius non
tam expleret, quam superaret potius. In aca-
demia auditiones theologicas, quae in desuetu-
dinem venerant, instaurauit publicas et priuatas,
codicem sacrum exposuit, libros symbolicos il-
lustrauit, doctrinam sanctiorem in locos dige-
stam docuit, selectiora etiam argumenta *de sa-*
tisfactione, iuramentis, alia, ad disputandum
subiecit, et adornato ingeniorum certamine de-
fendit: ut insignis academie, qua emendatori
religioni addicta est, eius tempore accessio
fieret. In regenda ciuitate sacra nihil prius ipsi,
nihil antiquius fuit, quam ut disciplina castior
postliminio in usum reuocata sancte obseruare-
tur. Quem in finem in magistratus religiosi con-
uentibus, quibus praesidebat, seuerum vitio-
rum censorem, bonique per omnia ordinis stren-
uum vindicem egit: gymnasii augustiniani et
reliquarum scholarum census habuit, et amplum
ordinem sacerdotum extra urbem rem sacram
agentium accurata lustratione visitauit. In cu-
ra autem animarum sibi concreditarum, quan-
tum cogitatione contendere potuit, tantum in-
defesso

defesso labore efficere parauit. Sermones ad conciones frequentissimas habuit: grauissimos, quibus animos huc illuc trahere, saluberrimisque commotionibus afficere solebat, vt ad sui explorationem conuerterentur, in sanctissimum dolorem, vitiorum detestationem, desiderium et supplicationes, castissimamque mentis emanationem coniicerentur. Non tamen his sermonibus labores suos circumscripsit, sed publica et priuata rudiorum institutione, repetitionibus sermonum habitorum, multaque cum singulis couisuetudine id sedulo laborauit, vt morbos aegrotantium et conualecentium curaret, vulnera caute tractaret, et medicinam singulis attemperaret. Illis maxime, quorum secretiores confessiones audiendae erant, animaeque currandae, incredibilem operam dedit: hos aliquot dies praeparauit, de peccatis sanguine CHRISTI rite expiandis monuit, vehementerque, quod in ipso fuit, cauit, ne indigni sacris epulis hospites essent. Dici non potest, quot quantasque anxietates in hac medicina facienda subierit, quot etiam animae ipsius cura conualuerint, et quam multos his parturientis animi doloribus ad sanctiorem lucem, nouamque vitam generauerit.

IN SIGNIS ad memoriam posteritatis animorum conuersio, hominumque ex veterno excitatio, hanc industriam consequuta est, ex eo in primis tempore, quo AVGUST. HERM. FRANCKIVM, LI-

PSIA

PSIA euocatum, collegam, laborum et fortunae socium habuit. Iam in KORTHOLTI familia artius coaluerat cum diuino hoc iuuene, ac si de duplicitis collegii vinculo ipsis diuinando constitueret. Non sicut, quam AVGVSTINVS cum ALYPIO suo in scholis et AMBROSII maxime disciplina animorum confessione coniungebatur, quem studiorum et laborum per plurimam vitam partipem et thagastensem antisititem in AFRICA repuganda et moderanda adiutorem deamauit. Eadem inusitata et plus quam fraterna amicitia NOSTER FRANCKIVM complectebatur et colebat, ita, ut per XXXVII annos, quos in illa societate transegerunt, numquam in gratiam cum eo redierit. Non habet recentior aetas rei sacrae, veraeque pietatis vindicandae accessionem ullibi factam, quam cum illo erfurensi tempore comparare possit. Nam ex quo huius mundi collatis viribus in hostes regnumque tenebrarum, quod plerosque mortales occupatos tenet, impetum fecerunt: incredibili felicitate inter innumeratas luctas, turbas et commotiones fines regni CHRISTI late protulerunt, eiusque dignitatem cum multa animarum salute amplificarunt; ut innumera pectora expugnata in DEI possessionem fortiter vindicarentur. Atque cum insana aduersariorum rabies hanc operam inuidiose et nefarie impugnareret, et FRANCKIVM maxime peteret, ut vrbe tandem interdiceretur: NOSTER faustissimo hoc augurio motus, caussamque DEI ex calamitatibus et

et oppugnationibus maxima incrementa capere arbitratuſ, noluit ab eius fortunae societate abſeſſe, in quam non incidit, ſed ſponte ſua venit, intrepiduſ periclitantis cauſae bonae cum iaduſa tranqullitatis, dignitatis et vel ipſius vitae propugnator.

QVOD IN extērnis terrarū gentiumque vici- bus plerumque accidit, vt vniuſ deminutio alterius et plurium incrementa praebeat: eadem ſapientiſſima DEI prouidentia litterarum, bo- nae mentis et religionis ratio fuit, cuiuſ tot eue- nerunt migrationes, quoſ imperiorum conuerſiones. Nobis igitur et academiae noſtrae gra- tulamur hos ſaxonicos motus ſacros, in quos ipſi illius natales incident, vnde ſingulari bene- ficio DEI vna cum florentiſſima iuuentutis colo- nia hos duumuiros erfartenſes habuimus. Iam anno CIC IOG LXXXH HILDEſIA ciuitas ampliſſimis conditionibus BREITHAVPTVM inuitauerat ad ſacrorum moderamen fuſcipiendum, ad quam ſtationem, a moleſtissimo periculofißimoque au- diendarum confeſſionum labore liberam, animo ipſe multum propendebat. Erfartenſes tamen, ac ſi de palladio ageretur, et a BREITHAVTO multis precibus mansionem, et ab HILDEſIORVM republica, miſſis legatis ex ſenatorum et facer- dotum ordine impetrarunt, vt a ſollicitando hoc viro abſtinerent, cuiuſ tamen non diurna fuit poſſeſſio. Sapientiſſimus enim huius litterariae ciuitatis conditor FRIDERICVS, omnes laudes rebus

PROGRAMMA

rebus in toga sagaque paeclare gestis longissime supergressus, cum musarum domicilium et bonae mentis sedem HALAE meditaretur, vnde colos eo deduci curaret, virosque conuocaret celeberrimos, ad litteras diuinias huc inuehendas, nascentisque academiae rem sacram consti- tuendam: BREITHAVPTO accommodatiorem aequissimum meritorum aestimator inuenit neminem. Qua re illum, auctore potissimum SPENERO, fridericianae suae vindicauit, et anno CIO IOCLXXXI ad professoris, directoris seminarii theologici, senatoris in sanctiori senatu magdeburgico, et oratoris sacri ad aedem cathedralem halensem munera euocauit, habuitque obsequentissimum, quum indubium DEI nutum animaduerteret, et tristia tempora erfurtensia migrationem suaderent.

MULTA SVNT et immortalia merita ab AVGUSTINO in hipponensem coerum et vniuersum CHRISTI populum collata per XXXX annos, quos ibi sacerdos primum, deinde praesul exegit, laborando, instituendo suos, conuelliendo hostes, ordinando rem sacram, agendoque DEI causam apud sui temporis homines. Quae tamen BREITHAVPTVS, in oras nostras delatus, non annorum solum numero aequauit, sed amplitudine etiam et dignitate superauit. Initium facile, exitum difficillime inueniremus, si singulos labores nihilo acrius suscepitos quam perfectos, vel striclim persequi vellemus. Ut tamen posteritas habeat,

habeat, quod miretur, nec ad figmenta referat,
si audierit, vnum hominem tot labores suffecisse,
potiora commemorabimus.

ACADEMIAE primus de lectionibus sacris prospexit, habitaque oratione solemnni de *reformationis euangelicae natura et indole* scholas aperuit, atque, ut exspectatione frequentius peregre aduentantes non frustraretur, omnes doctrinae sacrae partes explicauit, splendidissima semper iuuenum ad illum confluentium corona vel domi septus, vel in publicum deductus, qui colonias disciplinae breithauptianae per omnem puriorem CHRISTI coetum duxerunt, nostraeque academie famam late propagarunt. Dogmata sacra et doctrinarum sacratissimae religionis corpus studiose, distincte, copiose et grauiter docuit, omnemque lapidem mouit, ut non suorum capita inani theologicarum vocum formularumque notitia impleret, sed ipsas mentes efficacissima DEI cognitione et reuerentia imbueret, instrueretque sapientia vera, non ad scholam et arenam, sed ad vitam et post vitam profutura, atque in ipsis, DEI ope adiutus, praestantissimum amissae diuinae similitudinis decus, ad quod facti olim eramus, instaurareret. Quam ob rem doctrinas, quae ad animum emendandum, moresque corrigendos pertinent, a reliquis intelligentiam rerum sacrarum prouehentibus, sine irreparabili rei diuinae detimento, separari posse negavit, sed utramque disciplinam semper arctissime copulauit. Initio HVTTERVM concinnae perspicuitatis causa explicandum sum-

fit, atque ex ARNDIO potissimum, CHEMNITIO, LVTHERO, symbolisque eximie illustravit: postea ab anno CIO IOCLXXXIII propriis praceptoribus, ita tamen, ut aliorum labores magni faceret, commendaret et adhiberet, ipseque KOENIGII theologiam ob technicas voces suis nonnumquam exponeret. Atque in hoc nobilissimo dogmatum docendorum studio, aucto deinceps collegarum numero, laboribusque inter ipsos distributis, tamquam in fundo suo confedit, eique lectionibus et examinibus excolendo se totum consecravit.

VERVM quod oracula diuina theologum formare, rerumque sacrarum, quidquid est, ad hanc normam summumque arbitrium reuocandum et constituendum esse, probe intelligebat: hanc quoque sacrorum librorum interpretis personam gesit, et utriusque instrumenti diuini tabulas sedulo commentatus est, apostolorum in primis epistolas saepius explicauit, examinibus et disceptationibus academicis illustravit. Omnis historiae sacrae stadium aliquoties decurrit, et praecentes vel antiquos vel recentiores scriptores optimos quosque sequutus felicissime conficit, genuinum antiquitatum usum ubiuis demonstravit, origines et vicissitudines rituum, doctrinarum errorumque familias et necessitudines, regni DEI certamina et amplificationes, verae sapientiae inter mortales migrationes, rerumque sacrarum conuersiones, fide ex ipsis fontibus facta;

ta, proposuit. Polemicam theologiam parcius quidem docuit, non tamen omnem neglexit: sed in dogmatibus proponendis, quoties scrupuliani-
mis euellendi erant, et auditores in vero confir-
mandi, curate tractauit, et ipse licet pacis stu-
diosissimus, laceffitus tamen ita nonnumquam
exercuit, ut a contentiosa litigandi libidine se
demonstraret alienissimum. Saepe iuuenes in
arenam solemnem deduxit, plurimi academiarum
interesse ratus, ut haec laudabilis consuetudo
a maioribus accepta, a vitiis repurgata mul-
tum floreret. Praeter auspicales disputationes,
quibus tamquam brabeuta praefuit, ut qui pri-
mus in ipsa consecratione academie superiorum
auctoritate summos theologicos honores aliis con-
tulit, xxii solemnes disputationes, plerasque a
se conscriptas, moderatus est, et xxxiii mino-
res, publice tamen habitas in epistolas diuinias:
ut reliquas taceamus, priuatim in libros maxime
symbolicos institutas. Oratoriam sacram saepe
docuit, et ab anno CIO IOCCI curauit, ut proue-
ctiores quidam iuuenes bis per hebdomadem ser-
monum sacrorum tirocinia ponerent, se audi-
ente, et, quae monenda viderentur, animad-
uertente. Ipse in eiusmodi orationibus, quan-
tum per reliqua negotia licuit, assiduus fuit, et
in aede scholastica, ut vocatur, quam primus
his usibus consecrauit, ab anno CIO IOCLXXXIX
usque ad CIO IOCLXXXXVIII post meridiem, exin-
de horis matutinis verba DEI concioni interpre-

C a

tatus,

tatus, populumque ad animi emendationem, veramque pietatem cohortatus est, ita, ut mirifico a cunctis studio audiretur, omnesque acriter excitaret, attentos teneret, et redeundi cupidissimos dimitteret.

NON minorem se praebuit in ciuitate sacra curanda, ordinandisque rebus diuinis per harum terrarum iurisdictionem. A primo enim ad nos accessu senatus sacri magdeburgici patribus conscriptis cooptatus, aliquot etiam annis post dioeceseos salanae primae inspector constitutus fuit: anno autem CIO IOCC V ad supremi sacrorum antifitis, quem superintendentem generalem vocant, gradum euectus. In hac statione circumspectio-
nem vigilantissimam cum summa fide, fidem cum insigni prudentia felicissime exaequauit. Anno CIO IOCC XI composita lites, quae MAGDEBURGI ordinem sacrum distractum tenuerant, eumdemque labore DERENBVRGI in terris halberstadicis peregit anno CIO IOCC XIII.

OMNIVM vero grauissimam curam gessit candidatorum ad rem diuinam initiandorum. Per-
spexerat enim, operam et oleum perdi, frustraque elaborari in emendando DEI populo, quam-
diu hic ordo, a quo reliquorum corruptio fluxit,
non repurgetur, sancteque caueatur, ne quis profanus illotis manibus arduum hoc et sacratis-
simum opus attingat. Intellexerat etiam, ad
quos haec cura pertinet, mirifice peccare, si ad
alios DEO conciliandos adhibent, qui ipsi cum

DEO

DEO in gratiam nondum redierunt, ipsosque coecos coecorum duces constituunt. Quare, quum ad examinandos ordinandosque pastores delectus esset, totus in illam curam incubuit, ut lupos a grege CHRISTI arceret: veritus, ne, quod PAVLLVS TIMOTHEO edixerat, in societatem peccatorum deueniret, damique exinde redundantis; si manus, ex formula sacra, illis temere imponeret, qui hac prouincia sunt longe indignissimi. Ex eadem hac cura, quae apud ipsum semper excubabat, enata est dissertatio solemnis, anno CIO IOG LXXXVII habita, *de notis candidatorum ministerii ecclesiastici*, et illa serenissimi principis constitutio anno CIO IOG LXXXVIII promulgata, ipso potissimum auctore concepta, *de requisitis et praeparatione candidatorum*. Eiusdem curae testis est liber, qui SAL TERRAE insignitur, anno CIO CCXXVIII editus, laborum in praeparandis his pastoribus specimina complexus: testis est multitudo certaminum, inimicitarum et odiorum, quae acerrimus ciuitatis sacrae a maleferiatis hominibus defensor sibi conflauit: testis denique est tot doctorum conscientia, qui hanc eius fidem vsu compererunt. Atque haec vigilandi pro securitate sacra statio magnam ipsius vfurae partem nostris musis ademit, ex quo supremus regendae prouinciae senatus anno CIO CC XIII MAGDEBURGVM translatus eum praesentem vindicavit: licet a fridericana sua ita non diuelleretur, ut non per satis magnam anni par-

tem ad illam excurreret; academia hanc mutationem aequius ferente, duobus venerandis collegis iam anno CIO IOCCVIII, quum abbas bergen-sis crearetur, in eius abfuturi locum suffectis, illamque deminutionem abunde compensantibus.

VIDIMVS vitam praeclare actam, quaet tota quidem singularis est, et ultra communem mortaliū fortē ad excellentiam facta: memoris tamen animi religio postulat, officiique ratio, vt, quibus maxime eminuit, virtutes et dona singulare omniō et peculiaria mente lustrēmus, velis tamen contractis pleraque praeteruecturi. Multas habebat dotes a natura exquisitissimas, diuini tamen fauoris operatione demum perfectas. Pollebat ingenio secundo, sagaci, ampio et ad discrete iudicandi admirabilem dexteritatē subacto. Quale AVGVSTINI ingenium fuisse florida, acuta et ornata scribendi ratio demonstrat, doctri-naque breui tempore sine multis subsidiis collecta, talem BREITHAVPTIANI ingenii praestantiam fuisse abunde omnes cognouimus. Non deerat tenacior memoria, qua multum valebat; nec destituebatur copia fingendi componendique rerum imagines, quam excellens poesis et eloquentia satis produnt: acriter tamen iudicandū dexteritas, quae longe reliquis facultatibus maior erat, potissimum diuinæ prudentiae, quam omnes in eo suspexerunt, momentum faciebat; vt, quoties confilium rogatus, aut ad disceptandum lacessitus, sententiam pronuntiaret, paucis multa

multa dixisse, omneque punctum tulisse videtur.

CVLTVRA multo studio peracta diuinum hoc ingenium ad illud eraditionis fastigium euexit, ut, nisi praestantiora superessent, per partes eundo multa enarrare possemus doctrinae inusitatae specimina. Nisi theologus primi ordinis fuisse, fuisse sine dubio incomparabilis poeta, acerrimusque elegantioris litteraturae, quae ab humanitate nomen habet, vindex. Nemo poeseos vel mediocriter gnarus *commentarium poeticum in proverbia et ecclesiasten, sacra anniversaria, epigrammata biblica et miscellanea carmina vi libris edita legit*, quin mirificum hunc carminis pangendi artificem admet, venam dulcissimam, virgilianum robur et sublime decus miretur. Philosophorum disciplinas exakte meditatus tandem completebatur, quantum theologiae prodessent, extra quam se extorrem versari existimabant. Erat ratiocinandi et ex ipsa rationis lege argumentandi peritissimus: mire callebat distinguendi, suosque singulis rebus, vocibus et formulis significatus determinandi negotium, quo litterarum doctores carere nequeunt. Nihil sententiarum, opinionum, litiumque philosophicarum per omnes eius partes non perspectum cognitumque habebat. Antiquorum in primis libros multum versabat, commendabat, molesteque ferebat a pluribus rideri et false traduci, quam legi et intelligi.

SACRARVM vero litterarum eam sibi comparauerat scientiam, quam admodum pauci, aliorum tamen doctores, quaerunt, consequuntur paucissimi. Arduum sane, multisque difficultibus obsecsum iter est, ad vnius dumtaxat theologicae disciplinae excellentiam, adeo, ut plurimi de omnibus obeundis et complectendis ne cogitent quidem. Quo magis celebranda est theologi huius incomparabilis industria, qua omnes diuinae doctrinae partes ita lustravit, ut singularum esset peritissimus, in plerisque excelleret et ad consummatae intelligentiae fastigium contenderet. Interpretem codicis sacraissimi, quem per vitam de manu numquam depositus, egit felicissimum, multisque ad eum intelligentendum viam aperuit; longe tamen in hoc genere se ipsum certo superaturus, si alii labores illum non tenuissent occupatissimum. Quoties dogmata sacra praecipienda, aut controueriac disceptandae erant: omnia ad hanc diuinitus nobis constitutam normam regulamque ita reuocauit, ut ab ea numquam oculos deiiceret, nedum discederet, sed ipsa verba, loquutiones, diuinaque definiendi et pronuntiandi formulas sequeretur. Nihil est in antiquitatibus sacris, historiis temporum priscorum, monumentis vetustiorum doctorum, qui patres vocantur, statutis denique ecclesiasticis, ad dogmata intelligenda, lites dirimendas, ciuitatem DEI gubernandam, ius sacram

erum dicendum praesidii, quin ab illo cogitatum adhibitumque sit in loco, et conuenientissime explicatum. Quae, necessitate iussus, non ad aliorum offensiones, sed sui verique defensionem, bella geslit, cum et intra muros et extra, manus consernda, et vel ore disputandum, vel calamo impetus hostiles sustinendi frangendique fuerunt, ea fortitudine, prudentia dexteritate administrauit, ut superior discederet, breuique tempore longissimas rixas conficeret.

DE DOGMATICA tamen theologia piae reliquis studiis sacris immortaliter meritus est: quam iterum iterumque explicauit, scriptis illustrauit et ita adornauit, ut, si vel hoc vnum egisset, in primariis coetus purioris doctoribus collocandus esset. Incredibili felicitate et instruere simul, et mouere poterat suae disciplinae traditos, et ad solidam, viuam atque efficacem DEI cognitionem formare, vnaque opera et doctrinam diuinam, et dissensiones aduersariorum, et morum emandandorum rationes docere: ut nemo attentus ipsum differentem audierit, aut confluerit priuatum, quin doctor et eruditione theologica locupletior discesserit. Digna sunt, ut aeratem ferant, et ad posteritatem propagentur eius scripta dogmatica, quae eximum aliquod antiquae, solidae et pragmaticae theologiae simulacrum effingunt. Atque in hoc augustinianae eruditioonis simillimus fuit: quem in iisdem

G 5 litte-

litteris et operam posuisse, et immortalitatem laudum consequutum esse nouimus, vt nemini, nisi eius librorum ignaro, obscurum esse porest. Scripsit enim, vt reliquorum librorum mentione supersedeamus, quasdam explicationes epistolarum Paulli, sermones et praecepta reliquit ad morum disciplinam pertinentia, contra impudentissimam MANETIS petulantiam, turbulentissimas DONATISTARVM sententias, et arrogantes PELAGII errores, sanæ doctrinae caussam egit: plurima tamen, quae litteris consignauit, faciunt ad dogmata sacratissima explicanda et argumentis corroboranda, vt libri de doctrina christiana, de fide et symbolo, de natura et gratia, de libero arbitrio, de fide et operibus, de ciuitate DEI, reliqua. Hic quidem numero et mole librorum AVGVSTINO admodum inferior est BREITHAVPTVS, in scribendi tamen genere ornatissimo, solida eruditione adhibita, et ad emendationem vsumque legentium directa, vbi non aequalis AVGVSTINO, ibi certe est superior. In epistolis antipelagianis, librisque doctrinalibus, illam potissimum AVGVSTINI, ipsiusque spiritus sanctissimi sententiam de gratia et peccato stabilitam deprehendimus.

INTER eiusdem AVGVSTINI eximias dotes facundia non postremo loco commemoratur: qua ita excelluit, vt non solum quamdiu rhetoris partes CARTHAGINE, ROMAE et MEDOLANI ageret, omnium in se admirationem conuerteret, sed post

post etiam sacro ritu initiatus a VALERIO, hippo-
ponensium praefule, sacerdos adhuc, quod in
AFRICA ante inauditum fuerat, ad sermones in
solemni concione sacra habendos inuitaretur,
omnes dicendi flumine permulceret, et disser-
endi robore attonitos relinqueret. Quam elo-
quentiam peculiari iure BREITHAVPTO vin-
dicamus propriam. Quoties latine vel german-
ice in omnis generis solemnitate, concione et
opportunitate verba fecit, quae sane fecit sae-
piissime: quantam non excitauit sui admiratio-
nem, quam non omnes ab ore suspensos tenuit!
vt cunctis et natus et factus orator videretur. Ita
vocem tonantem, latera, lacertos, oculos, to-
tum corpus intendere, temperare, mouere et
dirigere poterat. Erat adhaec spectabili corpo-
ris forma, ad grauitatem ipso dignam composita,
vultu a leuitate remotissimo, procera statura,
et valetudine ad labores doloresque obfirma-
ta.

LONGE HIS maiora sunt, et aeterna laude digniora, singularia dona, quibus a specialiori grata diuina instructus fuerat. Rara in DEVM pietate et morum sanctitate longe felicior fuit AVGVSTINO praestantiorque. Satis is sero, post infeliciem iuuentutem, libidinibus conspurcatam, ad meliorem frugem rediit, et ad virilem demum aetatem prouectus errores expiauit, aliamque vitam, alias mores omnibus probauit: eo fortio-
ri tamen impetu, viriumque contentione id con-
sequutus, vt non solum illam maculam abstur-
serit,

ferit, sed inusitatum etiam sanctitatis exemplum dederit. BREITHAVPTVS non interruptam fidem DEO, quum sacro baptismatis ritu lustraretur, daram sancte praefitit, omnemque vitam in piissimis sanctae religionis exercitiis transegit. Iuuenis adhuc virilem temperantiam et incredibilem seueritatem contra naturae corruptionem adhibuit, idemque reliquas aetates emensus in senectute idem fuit accerrimus sui ipsius censor, castissimusque sanctitatis ficerdos. VniCHRISTO seruatori totus adhaerebat, vnum illum animo, cogitatione, desiderio, fide et amore prosequebatur: quo vno demum potitus intelligebat, aditum sibi patere ad DEI fruitionem, ad vitam vitio vacuam ex legis diuinae formula agendam, et ad ipsam beatissimam aeternitatem. Hinc mirum non est, tot incrementa cepisse castissimam eius pietatem, et mirificis progressibus ad excellentiam excreuisse.

IN ORATIONE, meditatione, tentatione, quaertria et christianum et theologum facere LVTHERVS grauissime enuntiauit, assiduus fuit: quem in eo potissimum imitabatur, vt statas singulorum dierum horas in familiari cum DEO consuetudine locaret. Multas noctes insomnes agebat, DEVVM veneratus, miseriad suam communemque lacrimatus, suspiriis, gemitibus numinis fauorem sibi, suis, populo, generi humano deprecatus. Ieiuniis saepe vacabat, vt eo paratiior ad precandum accederet. In meditatione

CHENNI.



HEMNITIVM aemulatus est, MELANCHTHONEM, alios. Quotidianam scripturae sacrae lectionem a prima pueritia sancte continuauit, eamque cum legendis aureis ARNDII libris *de vero christianismo*, THOMA KEMPISIO, LÜTKEMANNO, et aliis, sedulo coniunxit: a qua cum nec litterarum ardore, nec laboribus cumulatissimis vñquam impeditur, factum est, vt diuina mente mature imbueretur totus, sanctis cogitationibus adsuefieret, et illecebras otiosi animi euitarer. Tentationes vero tot tantasque et patiendo sustinuit, et exercitationibus ipse subiit, vt ARNDII non minus in hoc luctarum genere, quam in doctrinae forma, euaderet longe simillimus. In prima adolescentia flagellis sanctioribus se caedi sensit, multosque tenebrarum adsultus perpessus est: quae insignior spiritus disciplina eum a se ipso per iuuentutis vitia euagari numquam permisit. Et in reliqua aetate cum innumeris hostium vndique irruentium turmis ipsi collectandum fuit: licet pleraque certamina modesta sua taciturnitate texerit. Non adeo a se discessit regnum tenebrarum, vt fortissimum hunc ipsius debellatorem tranquillum relinqueret. Atque vt, quod res est. dicamus, verus fuit crucis theologus, hoc arduum mysterium, quod solemni disputatione et integrō sermonum sacrorum volumine illustrauit, experiundo edocitus. Ab anno ḠC 106 LXXXVII acutissimi arthritidis dolores misere ipsum ex-cruciarunt, contra quos, et longe grauiores internos

ternos equuleos, animum ad patientiam exercitatum ita fortiter confirmauit, vt omnia inconcus-sus superarit.

VETERVM eremitarum et anachoretarum mores sanctissimos libere et felicissime aemulatus est, vt nec antiquissima aetas habeat, quicum non sit comparandus. Vitam, quam caelibem et a curis, domesticis liberam duxit, his religiosis exercitiis abstinentiae, temperantiae, precum et meditationum consecravit. Vnde unus omnium aptissimus censebatur, qui coenobiis nostratis moderandis praeficeretur. A primordiis academie seminarium hillerslebiense gubernauit, et constituta familia sanctiori quotidie horas, quas veteres canonicas vocarunt, sancte obseruari curauit. Anno CIO IOCC V MAGDEBURGI praepositus monasterii b. MARIAE virginis creabatur, anno vero CIO IOCC VIII abbas coenobii bergensis prope MAGDEBURGVM rogabatur: quas stationes ita obiit, vt specimen daret reuocandi eiusmodi familias sacras ad primum piissimum florem, vnde sequenti tempore mirum quantum decesserant. Et in hac vitae parte AVGVSTINVM retulit, qui tam in agro thagastensi priuatus, quam postea HIPPONE eiusmodi necessitudinem sacram constituit, legibus circumscriptis, et ad usum publicum ordinauit.

MVLTI essemus necesse est, si reliqua de constantia, de modestia, de incredibili laborandi aliisque inferuendi studio, de benefico paupe-rum

rum patrocinio, de intrepida fortitudine, de priuata animarum cura, quam ab academico doctore separari posse negauit, vel breuissimam mentionem facere, nedum exsequi cuncta vellemus. Quare cum imaginem tanti viri digne exprimere, suisque coloribus exornare nequeamus: sufficiat nobis primas lineas duxisse, ex quibus omnibus facilis erit diiudicatio, quantus et quam incomparabilis fuerit, quem deploramus, theologus sui ordinis hac aetate facile princeps.

RESTAT, vt paucis iam videamus, qui reliquam vitam singularem egerat, quomodo ultimum eius aetum obierit, morte commigraturus ab excubiis laboribusque ad aeternam quietem, in quam coniunctissimos collegas, FRANCKIVM ante quinquennium, ANTONIVM ante biennium, se relicto, praeire segre conquerebatur. Nullus quidem grauissima senectutis incommoda in senectute senserat, habueratque vegetum animum in effeto morbisque confecto corpore: vt longiori vitae, qua dignissimus erat, conseruari videretur; licet domesticis familiaribusque solito saepius mortem meditari, instantemque emigrationem praesagire putaretur. Ineunte mense martio HALA MAGDEBVRGVM profectus, fatis, vt per aetatem licuit, bene valebat, suas res ordinabat, ultimam manum institutionibus theologiae moralis et sermoni in emortualem CHRISTI diem sacrum typis exscribendo imponebat: cum
op-

opinione omnium celerius eiusdem die xiii morbum sentiret, subiretque febriles motus, cum insigni capitum tremore et virium postratarum debiliratione coniunctos; ut non exiguum imminentis apoplexiae suspicionem faceret. Noctem quietam exegit, atque ex medici lege, a febri relictus, die sequenti sanguinem misit, vena in pede secta, vnde melius se habere coepit, noctemque satis tranquillam transduxit. Die tamen xv febri denuo ita corripitur, ut post leue frigus, modicum aestum pulsusque sanguinis febriles alii magis animaduerterent, quam tolerantissimus senex, qui extra lectum ex more labrabat, nihil praeter aliquam virium infirmitatem conquestus. Nocte iam satis prouecta opprimitur multa anxietate: vnde qui aderat, apparitor periculum suspicatus plures adesse iubet, qui aduentantes ipsum vehementiori apoplexia percussum, DEVM precari, suosque, ut ab ipsis in se erigendo iuuaretur, aduocare, tum loquendi copia destitutum quiescere et aegre ultimum spiritum trahere vident. Hinc omnes ad sacros hymnos concinendos, DEVMeque precandum conuertuntur, inter quos complorantium gemitus animam placide in DEI seruatoris manibus posuit, mortisque, ad quam diu admodum sancte moriendo se praeparauerat, acerbitate non expertus, a laboribus, aerumnis et calamitatibus beate conquieuit die xvi martii, qui in sacris fastis dominica oculi insignitur, exeunte hora iii matutina:

post-

postquam sibi, suis meritis, suae dignitati, non vero nobis satis diu vixerat, attigeratque annum LXXV, aliquot mensibus viuendi diuturnitate AVGUSTINO inferior, qui LXXVI aetatis anno VANDALORVM HIPPONEM oppugnantium iniurias aliqua irruentia DEI iudicia effugit, progressus a militante ad caelestem DEI ciuitatem. Exuias mortalitatis, carum diuinae mentis domicilium, digne efferri, manibusque inferias mitti curarunt die XVIII aprilis ad sacrum coenobii bergenſis conuentum adlecti.

vos, CIVES, quid vestri officii sit, cogitate! DEVVM immortalem dignis laudibus concelebrate, qui adeo incomparabilem virum vobis admodum diu permisit et incolumem seruavit, iamque laboribus defunctum ad se euocauit. Supplicationibus malum omen auerruncate, DEVVM venerati, ut academiam ab acerbis casibus immunem florere, eius senatum et venerabilem theologorum ordinem diu rectissime valere iubeat. Familiae lucentissimae bene precemini. Praeclarum virtutis exemplum memoriae mandate, idque, licet impari gressu, sequimini. Sancte prouidete, ne, cum IVSTVS hic moritur, nemo vestrum attendat et in rem suam abeat. In primis date hoc sanctis manibus immortaliter de vestra salute meritis, ut sermoni funebri, qui

D

in

50 PROGRAMMA ACADEMICVM I.

in aede scholaſtica cras post horam nonam ante
meridiem habebitur, oratore collega amicissimo
GOTTH. AVG. FRANCKIO, professore theo-
logiae ordinario, frequenti concione adſitis, auribus
animisque faueatis, ossa placidissime quiescere,
animam in beatorum ſedibus beatissimam eſſe iu-
beatis, virumque ad ſuperos egressum ultimo
obtutu, gemitu, desiderio prosequamini. P. P.
in fridericiana ad d. iii maii, qui ex formula fa-
cra proxime praecedit dominicam iubilate,
anno ab orbe reſtituto cicio iccc xxxii.



Q. D.

Q. D. B. V.

SOLEMNITATEM FVNEBREM
VIRI

SVMME REVERENDI EXCELLENTISSIMI
AMPLISSIMI

IOANNIS LIBORII
ZIMMERMANNI

PROFESSORIS THEOLOGIAE ORDINARII

ET QVUM MORERETVR

SVI ORDINIS DECANI

DE CIVITATE DEI IMMORTALITER MERITI

AD D' XVIII APR' ANNI CIO IO CC XXXIII

HORA II A MERIDIE

SERMONE SACRO

IN AEDE ACADEMICA

CONCELEBRANDAM

CVM

CANCELLARIO DIRECTORE

ET


RELIquo ACADEMIAE FRIDERICIANAE

SENATV

INDICIT

IOANNES HENRICVS MICHAELIS

THEOL DOCTOR EIVSQVE ET LINGG GRAEC AG
ORIENTAL PROFESSOR ORDINARIUS SEMINARIUS HIL
LERSLERIENSIS DIRECTOR ACADEMIAE
TERTIVM PRO-RECTOR



QVAM sit rerum humanarum stabile nihil,
 firmum, et a conuersionis periculo
 immmune, omnis contra mortalium
 conditio fragilis, fluxa et vicisitudi-
 nibus intertexta, nouo iam documento, sed eheu
 quam caro! nobis constitit. Paucis enim abhinc
 diebus, prius sensimus, quam praeuidimus in-
 opinatum fulmen, quod ACADEMIAM nostram fe-
 rali iactu perculit, et eius ordinem illum tetigit,
 qui ex multis iacturis vix sibi restitutus fuerat,
 ipsique membrum eripuit nouissimum, decori
 sanctioris disciplinae inter nos conseruando, et
 ad posteros transmittendo destinatum, virum
 summe reuerendum, IOANNEM LIBORIVM
 ZIMMERMANVVM, professorem theologiae
 ordinarium, de re sacra egregie meritum, lon-
 giore vita, si quis vñquam dignissimum. Prae-
 cocci is festinatione praecclare viuendi metam,
 quam ipsi bonus quisque precabatur remotissi-
 mam, moriendo consecutus est, et accelerato
 immortalitatis itinere, subito oculos cum admira-
 ratione et plausu intuentium subterfugit, stadio
 inter nos decurrendo modo immissus. Incredibili-
 bilis hoc vno lacrimabili casu concidit spes no-
 stra, et magna exspectationis in longissimam
 aeratem praegressiae, facta est commutatio in lu-
 gubrissimum dolorem, adeo ut dubium relin-
 quatur, plura ne de eo sperauerimus olim, quam
 in eo nobis erepto, iidem desideremus moestissimi.

D 3

NON

NON IAM ex veterum formula immaturam mortem, crudelia fata, dirissimam vitae humanae legem, praeposterum naturae aberrantis ordinem, coecam fortunam queremur, aut superis inferis diem dicemus, aut prouidam numinis curam in regendis hominum rebus incusabimus, aut universi rectorem neglectae sapientiae, commissi erroris, immritis imperii vel alias hoc genus vitii postulabimus. Abfit hoc per omnem modum. Possunt illae impotentis animi voces, quae ad funerum solemnitatem et manes expiandos pertinere credebantur, antiquitati a vero DEI O. M. cultu alienae, condonari, nobis rectiora edocitis non possunt. Quare ita rationes illaetabilis officii nostri subducemus, ut in hoc calamitatis sensu, cum tenerrimi in COLLEGAM amoris, atque acerbissimi doloris conscientia et publica testificatione, castissimam supremi numinis venerationem aequemus, et religiose prouideamus, ne quid detrimenti capiat certissima de eius voluntate persuasio, neque in eius sapientiam, et bonitatem iniurii cogitetur quidquam. Aut enim toti fallimur, aut tantum abest, ut his tempestibus et procellis a prouidae mentis cogitatione abripiamur, ut potius ex vetero et neglecta in consuetis rerum vicibus diuini regiminis meditatione ita demum excitati, ad eius vestigia contemplanda feramur fortissime.

HABENT hoc proprium sibi et peculiare repentinū casū, in primis tristiores, ut de multis gravissi-

uissimis rebus omnes, quibus mens non laeua est, commonefaciant, animumque impetu facto ad ferias cogitationes impellant, et plurimum conferant ad sapientissima DEI consilia, quae sic innotescunt, ex euentibus cognoscenda.

NIHIL itaque prius iam nobis esto, nihil antiquius, quam vt omnem hanc rem ad DEVUM, unde fluxit, referamus, eius decreta taciti cum stupore veneremur, iisque cogitationibus immergamur, quas non verbis et sermone, sed factis et re ipsa, diuinitus cogitare iubemur. Iubeatur autem infinita diuortia meditari, quibus DEI consilia a nostris distant, vel sapientissime conceptis; fallaces hominum spes vel certissimis bonae caussae et voluntatis diuinae fundamentis superstrui vias; circumscriptam vel sagacissimum intelligentiam in praevideendis rebus futuris: vt DEVUM nube teclum, et lucis abundantia nobis obscurum non cogitando anteuertamus, sed pie sequamur, praeeuntem vias incertissimas. Admonemur praeterea de supremo et liberrimo DEI in suos dominio, quod ita exercet, vt non temere quidem et frustra; sine exspectata tamen nostri iudicij confensione omnia decernat, beneficia conferat, auferat pro lubitu sapientissimo, suamque familiam disponat mirifice: vt eius muneribus recte vramur, perpetuitatis ipsorum parum securi. Excitamur deinde ad abitum ex fragili hac vita mature parandum, sarcinas colligendas, animumque a terra, quae in aeternita-

D 4.

tis

tis itinere diuersorum, non habitationem praefat, abstrahendum, et ad caelestium curam applicandum, ut sic fugacissimi temporis fiamus studiosissimi. Certiores etiam reddimur de incredibili indulgentissimi DEI benignitate in acceleranda quorundam ex seruis suis mercede, precibusque ipsorum audiendis, ut perficiantur quanto ocius et consummentur. Praecipimur denique DEI irati, si que contemptum vlturi, iudicia et poenas, quas minitantur frequentiores piorum decessus, quales his nouissimis annis habuimus proh dolor! plurimos, precibus auerruncare ardentissimis. Docemur tandem imaginem vitae rarissimae, ac quo breuioris, eo certe laudabilioris: cum non ex annorum serie, sed rerum gestarum, laborum exantlatorum et cursus confecti rationibus vita sit metienda. Quam hac tabula delineatam proponemus; ut non solum memoria tanti VIRI inter nos conseruetur, sed simul testemur, quo loco habeamus insignem, quam in eo fecimus, iacturam. Erimus in eo breuissimi, ut sanctos manes a pompa affectatione alienissimos decet, primum enarraturi vitae vicissitudines ad annorum ordinem quo se excepérunt, ac deinde dotes et beneficia DEI in eum collata potiora commemoraturi.

WERNIGERODA IN HERCYNIAE tractu, ad BROTERVM montem, inclyta illustrissimorum comitum STOLBERGIAE sedes, hoc liberalis naturae domum protulit; ubi anno secundo saeculi, quod
a na-

a nato CHRISTO iam voluitur, decimi octaui, die
 III idus nouembris, qui in fastis nostris MARTINO
 facer est, in lucem prodiit, a mediocris quidem
 fortunae, honestis tamen parentibus procreatus,
 patre, HENRICO ZIMMERMANNO, qui pistorio
 opificio deditus, boni cuius et solliciti familiae
 nutritoris partibus defunctus, ante aliquot annos
 diem suum obiit, matre ANNA BARBARA HOL-
 TERHOFIA, quae superstes et huius filii et orna-
 tissimae filiae BVTNERIAE eodem morbo paucos
 dies ante nostrum mortuae, orbitatem non sine
 exquisito dolore deslet. Multum se his parenti-
 bus debere semper gratus professus est ZIMMER-
 MANNVS, quod omnem operam posuerunt in
 ipso educando, quoad per vitae rationes fieri
 potuit recte formando, atque tam domi, quam
 in litterariis peregrinationibus sustentando. Ma-
 ture enim emicuerat infantis, ad omnem excel-
 lentiā, et urbanitatem non facti et compositi sed
 nati, excitatior indoles, et insita ingenii virtus
 magni quid et ultra mediocritatem progressuri
 praecipiens. Cuius felicitatis suae ab aliis moni-
 niti parentes hunc filium ex tribus, quos sus-
 ceperant, natu minimum litterarum studiis con-
 secrandum esse putarunt, aut a natura ipsoque
 DEO consecratum profanare, et ad operas manua-
 rias detrudere, nefas duxerunt. Quare illum
 litteris, tam sanctioribus, quam reliquis ad hu-
 manitatem pertinentibus omni doctrinarum ge-
 neri fundamento futuris, in patrio ludo initian-

D S dum

dum et breui post, peregre HALBERSTADIVM, quod prope a patria aberat, deducendum curarunt, vt in gymnasio cathedrali doctrinam accessionibus locupletaret. Ampliorem hic campum, fidosque duces nactus excurrendi per litterarum stadia, grassandique ad omnem elegantiam, et ipsa sublimioris doctrinae penetralia: ea animi viriumque contentionе hunc scholasticum puluerem mouit, vt concitatiorе cursu, incredibili alacritate non magis quotidie se ipsum superaret, quam alios priores praeferiret, multisque post se parasangis relinqueret. Ad facundiam in primis, ad quam natura ferebatur, perpoliendam, et pure, eleganter, copiose eloquendi dexteritatem omni exercitationum genere contendit: quantum breui tempore valebat, vt in scribendo differendoque paucos haberet aequales, superiorem neminem. Multum ipsi hac in re profuit assidua antiquorum scriptorum lectio, cui se totum ita dederat, vt diurna nocturnaque manus versaret, magnam noctium partem insomnem ageret in castae latinitatis pariter ac elegantiae auctoribus euoluendis, legendis, relegendis et ad usum transferendis, admodum in eo felix, quod hac cum immortalibus antiquarum animarum reliquiis consuetudine, comissiones effugit et consortia facinorosorum adolescentum, pestem illam scholarum publicarum, hoc uno dumtaxat nimium infelix, quod moderatore domestico caruit, qui fraenum iniiceret, deuoran-

di

di omnes litteras libidinem impetumque vehe-
mentiorem cohiberet, et diuturnitati tam excel-
lentis ingenii consuleret.

ITA sacreuerat ZIMMERNANNVS floribus iam
admodum onustus, cum in aliud solum denuo
transferendus videretur, et praeceptoribus,
quibus incredibilem diligentiam, improbum la-
borem, proficiendi ardorem, omnem denique
vitae rationem probauerat, et sibi ipsi, qui
morae impatiens, maturitatem magnamque fru-
ctuum vbertatem animo iam destinauerat. Sa-
lutatis igitur et in consilium adhibitis suis,
patre comite, anno supra millesimum septingen-
tesimum vicesimum primo, vere ineunte, IENAM
adiit celebrem litterarum mercatum, quae eo in
primis tempore magni et incomparabilis RVDDEI
fama longe lateque sparsa se efferebat, omnibus
que commendabat. Postquam, ex more rece-
pto, nomen apud magnificum academie prore-
ctorem SYRBIVM professus erat, et auditiones do-
ctorum frequentare propositarumque doctrina-
rum dulcedinem degustare cooperat: nouas sibi
faces admoueri sensit, quibus latentes ignieuli
excitati, flammam conciperent easque vires su-
merent, vt totus litterarum ardore flagraret.
Dici non potest, quam nihil a priori diligentia
remissior factus, quod multis accidit in acade-
mias delatis: otium sibi et requiem numquam
indulxit, sed acerrimus laborum exactor, ope-
ras quotidie vrsit, feruentissime telam, quam or-
sus

sus fuerat, pertexturus. Post linguas sacras, quibus se in oraculis diuinis intelligendis, carere non posse sapientissime intelligebat, philosophiam sibi maxime addiscendam delegerat: cui etiam principem temporis, curae et laboris partem ad-dixit, atque omnis in eo fuit, ut non tam memoriā sententiis formulisque philosophorum one-raret, quam potius recte cogitandi, veri falsique discrimina et rerum omnium inter se connexa-rum principia perspiciendi atque curate medi-tandi dexteritatem consequutus, ultra vulgus eruditum saperet. Nullus tamen ita his litteris se implicari passus est, ut theologiae suae obli-uisceretur, cui se a teneris deuouerat: sed il-lam diuiniorē doctrinā reliquarum sibi finem praefixit, ad quem referret omnia. Quam ob rem licet RYSSIVM, in linguis sacrīs, WALCHIVM, HAMBFRGERVM aliosque publicos doctores in phi-losophia audiret assiduus, neque priuatos artium magistros negligeret: BVDEVM tamen vnum omnium, maxime suscipiebat, venerabatur et in eius disciplinam totus concedebat. A cuius ore ira indiuulſus pependit, ut non solum ipsas do-ctrinas caelestes ex eo hauriret, sed eius diffe-rendi docendique rationem imbiberet omnem, sibique redderet familiarissimam. Huic non ci-tius innotuerat, quam is prudentissimus inge-niorum arbiter iuuenem eximia omnia pollicitum deamare, fouere, familiarius sibi conciliare, et ad omnem praestantiam priuatim fingere fate-git

git. Cognoscebat religiosissimus doctor non intra honestatis externae et naturalis ingenuitatis limites contineri bonae mentis studium, quod noster prae se ferebat, sed altiores egisse radices, diuinamque indolem redolere. Euenerat enim nostro breui ante alia omnia cogitanti, ut efficacissimos spiritus diuini motus sentirer, iisque in grauissimos laborantis erroresque et labem, quam a natura habemus, anxie lugentis animi dolores coniiceretur: quos precibus ardentissimis ad DEVUM fusis, riteque inito animi turbati et luctantis certamine exitu expertus est longe saluberrimos. Nam quo diutius et vehementius excarnificatus fuerat internis his equuleis, non sine valetudinis detimento, eo fortiori postmodum gaudio perfundebatur, cum peccata sanguine CHRISTI eluisse, deumque sibi conciliatum diuinitus fieret certior, sibique et omnibus nouam vitam consequutus, et totus alius factus videretur. Non poterat diuinior haec animi tam excellentis commutatio, et ad caelestia conuersio diu latere, aut BVDDEVUM fugere, qui ciuitati diuinae insignem utilitatem ex hoc iuuene praesagiebat, adeo a natura instruto, et sanctiore diuini spiritus disciplina emendato. Quare ut illum diutius IENAE detineret, et occasionem, de salute publica deique populo bene merendi, mature preebaret, grauissimus ipsi auctor extitit, animi ad alios docendum applicandi, capessendique eum in finem academica iura et honores philosophicos.

OBTEM-

OBTEMPERAVIT noster et prouinciam ad quam
a primis litterarum initiis se praeparatum, insi-
toque naturae impetu destinatum cognoscebat,
adiit et ita ornauit, vt diuinis auspiciis faustoque
omine hoc initum esse consilium exitus compro-
barer. Quam primum enim scholas philosophi-
cas anno CIC 1500 xxv aperuit, ingens ad eum
factus est studiosae iuuentutis concursus, cui per
omnes harum litterarum partes, comitem se du-
cemque adiunxit, et operam nauauit adeo in-
defessam in ipsorum desideriis explendis, vt ea
multum superaret. Non ad tortuosas subtilita-
tum ambages, aut formulas inanem, quas ipsi non
intelligunt qui pronunciant, suos deduxit, ne-
que fallendi alios, callideque circumuenien-
di artes, vñquam docuit: sed quam ipse in-
uenerat sapientiae viam ad omnem vitam profu-
turae, eam aliis praeire, ad veri, recti, boni-
que leges suos formare, vnice laborabat. Me-
mor praeterea principis sui studii, ad quod o-
mnem doctrinam componere decreuerat, eam
init docendi rationem, vt non solum in scholis
philosophicis, auditores ad DEVM recte agno-
fcendum colendumque traduceret, sed horas
huic proposito destinaret singulares, quibus re-
ligiosas exercitationes iuuentutem doceret,
omnemque ordinem redeundi in gratiam cum
DEO a nobis distracto et auerso distincte, co-
piose, grauiter nec sine stimulis profunde in ani-
mos audientium insinuatis, proponeret. Quod
pro-

propius et felicius egit, ex quo BVDDEI auctoritate dogmata sacra exponere coepit scholasque theologicas cum philosophicis coniunxit. Plures ex hac felici officina ZIMMERMANNIANA priuata quidem, frequentissima tamen prodierunt viri ad solidam eruditionem, integerrimumque religionis, virtutis et cognitionis CHRISTI promouendi studium formati, quam multi saepe doctores publici per omnem vitam habuerunt auditores. Verum, ut sunt res humanae suis limitibus circumscriptae, ipsaque felicitate laborantes, et ad sumnum perfectionis gradum praeuectae, in eodem diu stare nesciae, si quod res est, fateri volumus, longe nobis iam laetior esset, huius temporis IENENSIS recordatio: nisi cum nostrae calamitatis, quam deploramus, sparsis seminibus cohaereret. Nam quod excellenteribus animis ad publicum emolumentum natis commune est, ut aliis inserviendo consumantur, id huic nostro, pro indeole alacriori proprium fuit, ut cum detimento virium et incohemitatis, cuius nimis incurius fuit, in aliorum incrementis promouendis elaboraret. Plerumque diem in coronis auditorum, aut priuatis singulorum ipsum adeuntium et grauissimas res interrogantium circulis, et confabulationibus transigebat. Quod reliquum erat horarum ad doctrinam amplificandam, siluam praincipiendorum colligendam, meditatione digerendam et ad captum auditorum accommodandam impendebat,

bat: ut de litterarum commerciis, sermonibus in concione sacra solemini habendis et priuatissimis operis BVDDEO praestandis, nihil dicamus. Fieri hac ratione non potuit, quin viribus exhausti abesset, quo liberalior in alios, eo certe in se iniquior factus. Sed ea fuit summi, numinis prouidentia in sic disponendis VIRI laboriosissimi laboribus, ut vita quam definiuerat breuiissimam, euaderet tamen longe fructuosissima.

ATQVE haec ipsa virium debilitatio, accedentibus non obscuris diuinae voluntatis significacionibus, fecit, ut et ipse abitum ex illa contentione meditatus, DEVVM vocantem Iubentius queretur, et BVDDEVS, qui antea ipsum alio transferri sibi a latere diuelli aegre tulerat, in eius discesulum consentiret. Celsissimus enim STOLBERGIAE comes, CHRISTIANVS ERNESTVS TOGATVS HEROS, cui merita ZIMMERMANNI eius potiundi desiderium excitauerant, anno CIO IO CC XXVIII illum sibi, ad quem nascendi lege pertinere videbatur, vindicauit, et WERNIGERODAM inuitauit, futurum a sacris in aula curandi, et tribunalii sanctiori admouendum. Morrem gesit noster, DEI magis nutum et COMITIS indulgentissimi voluntatem sequutus, quam animi instinctum, quo ad scholas et litterarum labores totus propendebat. Et habuit profecto, quod sibi gratularetur uterque: nam fertilior fundus et ZIMMERMANNO obtingere non potuisset, neque

neque eo colendo dignior facile futurus fuisset quisquam. Fuit quidem breuior temporis et laboris wernigerodani decursio, sed ienensi minime inferior. Digna sunt ut aetatem ferant, et ad posteritatis memoriam transeat, quae in hac statione ipsius fuerint partes curarum, laborum et fructuum vicissitudines. Postquam DOMINI DOMINAQUE et iuuentutis illustrissimae animos, non sibi, sed DEO familiarius conciliauerat, quae princeps apud ipsum excubabat cura: indefessam diligentiam collocauit in sibi concretis, ad veram et viuam DEI CHRISTIQUE cognitionem traducendis; in consiliis domino suo dandis de re sacra recte constituenda, prouehendaque aeterna hominum salute per terrarum suarum iurisdictionem; in euocandis fidis hominibus ad munera sacra, et iis omnibus ordinandis, quae prodescent caussae diuinae, iis vero quae obessent, fortiter expugnandis. Bone deus, quam numerosus fructus hos labores consequitus est! quam incredibilis rerum commutatio! quot testes et monumenta spirantia, aut, ut cum PAVLLO loquamur, epistolas viuas WERNIGERODAE reliquit.

ANNVS tertius agebatur secessus wernigerodani, laboriosi quidem, sed ob laetissimos laborum progressus et interpositas quietum itinerumque vices, non molesti neque inepti ad vires instaurandas, sibique vitae sociam iunxerat lectissimam virginem DOROTHEAM LVISAM omnibus gra-

E

tiis

tis exornatam, plurimum reuerendi MARTINI LANGII, qui CHRISTIANOPOLI in LVSATIA primam sacrorum curam gerebat et generum aliquot menses moriendo anteuerit: quum re domestica ita constituta, denuo ad lares transferendos, et commutandos labores insigni academiae nostrae commodo destinatur.

FACTVM enim est benefico numinis nutu, ut ab auguftissimo PATRIAE PATRE FRIDERICO WILHELMO, sapientissimo academiae nostrae nutritore, ZIMMERMANNVS deligeretur, qui vna cum alio venerando collega in locum celeberrimi RAMBACHII ad ludouiciaham in CATTIS euocati sufficeretur. Non deerant rationes, quibus ab hac prouincia adeunda deterri potuisse: noluit tamen vocantem DEVM migrationem nouam luculenter satis iubentem, obsequio destituere; in primis postquam certior fieret de successore dignissimo, et fructuosisima hac prouincia, non penitus deserenda, cuius partes in consiliis dandis et iure sacro dicendo absens obire debebat, impetrata simul potentissimi REGIS venia excurrendi quotiescumque opus esset, WERNIGERODAM. Quare se iterum DEO permisit et ao. CICIO CC XXXI aestate exeunte HALAS concessit, noster factus.

RECENTIORA sunt quae per vnum et sesquianum inter nos praecclare gessit, quam vt operofa

fa narratione indigeant. Nouissimum vitae actum glorioius et utilius agere non potuisset, qui reliquos laudabiliter peregerat, quam eum egisse inter omnes constat. Fefellit quidem et aliorum de ipso, et suam de se opinionem in viribus nondum integratati restitutis et ita instauratis, ut multis laboribus sufficerent: quam tamen debilitatem cum tempore in melius mutatum iri, malo hypochondriaco, quod ipsum affligebat, moderatore vita, et debita corporis moti exercitatione, inminuto et superato, sperabamus omnes. Verum eo magis superauit exspectationem quam de infracta eius valetudine et corpore viribus exhausto concipere poteramus: obiit enim officii sui partes, paucis vel corporis robore longe superioribus, inferior. Auditores et in lectionibus, quas apud nos habuit, dogmaticas, polemicas, homileticas et morales et omni data occasione non tam diuinorum litterarum cognitione imbuere, quam emendatores et religiosiores reddere conabatur. Neque euentus impar fuit desiderio, sed consilia eius agendique rationes comprobauit. Fuit enim iuuenturi studiosae apud nos gratissimus, cuius frequentissima corona cingebatur, quoties ex vtraque cathedra verba faciebat, multorum etiam serium ad DEVUM redditum animique conuersionem, proficiendique conatus monitis, precibus, doctrina, exemplo impetravit, iuuit, promouit. Et ut paucis multa complectamur, eorum quibus penitus inno-

E 2

tuit,

tuit, qui eius mortem acerbe non doleat fore arbitramur neminem.

VIDIMVS quantus fuerit ZIMMERMANNVS, quantum se ipso maior, futurus fuisse sine dubio si longiorem eius usuram habuissimus. Verum hoc omne intercepit luctuosissimus vitae exitus, quem nobis, non sibi, habuit improuisum. Satis convalescebat per hiemem putabatur, si a nonnullis consueti morbi incommodis et languore, quem per aliquot menses sensit, discesseris, excurreratque in patriam, unde ineunte martio redux melius se habebat, nihilque funestis aut instantis malis quidquam ominabamur. Consueuerat tamen iam ex aliquo tempore ipse, et uxori suauissimae, et familiaribus instantem mortem praedicere, et illustrissimo COMITI STOLBERGENSI ipsum inuisenti saepius edixerat: *breui moriar, in CHTISTO beatus, et, si DEO libuerit, admodum laetus.* Quae omnia praesagientis futuraque prouidentis animi indicia, verissima fuisse, iam satis eheu compertum habemus. Die xx martii febri corripiebatur, quae post aliquot dies malignam se prodibat: ut statim experientissimo medico, collegae coniunctissimo, qui morbum curabat vehementer periclitari videretur; in primis cum die septimo purpura rubra, undecimo alba prodiret, neque excretionis consuetae signa morbum imminentia docerent. Erat igitur dies decimus quartus cum multo metu exspectandus, spem nouam alla-

allaturus, quam anteuertit decimus tertius, a medicis tyrannus vocari solitus, ipsi feralis, nobis omnibus ater, et longe funestissimus. Cuius hora ante meridiem postrema, viuere inter nos sequiore sui parte desit, qui DEO, saluti publicae, et sibi satis diu vixit: nobis viuere non desinet, quam diu immortalis exempli imago animis nostris obuersabitur.

ANIMO DEVS vltimum hoc iter ingresso, affiduus comes adfuit. Primis morbi diebus incredibili gaudio peccus perfundi sentiebat, quod adeo intra se continere nolebat, vt quos inuisendi causa praesentes habebat et aduocari iusserat, eius certiores faceret, saepius assuerando, se ea omnia, quae de CHRISTO et summa in eius coniunctione, felicitate nostra publice docuerit vnumquam, iam re ipsa experiri longe verissima, et impense laetari, animum ab omni culpa, ab omni rerum terrestrium cura, et omni denique merito suo longe esse liberrimum. Exceperunt hanc effusissimam laetitiam, angores et tenebrae, in quibus aliqua itineris pars conficienda fuit: donec iis superatis, certissimis spei et fiduciae in dei promissionibus et fide positae significationibus, quas quam diu licuit per sermonis usuram, quae appropinquate morte intercipiebatur, nonnumquam reiterauit verbis, diutius signis affirmavit, mentem in DEO conquiescere. Inter quas obuiam euntis DEI praesensiones ab exuviis, quas

E 3

cum

cum multa molestia rexerat abstractus, caelestis
ille animus ad beatorum religionem auolauit in
CHRISTI sui, quem anxie desiderauerat, amplexus
ruiturus, vbi ipsi aeternum bene esto!

SUPEREST, ut quam recepimus, mentionem
faciamus de dotibus praecipuis: quibus adeo eni-
tuit ZIMMERMANNVS, vt omnium in se oculos con-
uerteret, et cum admiratione desixos teneret.
Non hic per singula eundo accuratum censum
agamus virtutum vulgarium, a quibus ambitiose
laudantur, quorum vita licet a faece mortalium
admodum distincta, peculiare tamen ac eximum
nihil habet, sed intra mediocritatem subsistit.
Tot enim tantaque, et naturae benignioris et
studii felicissimi, et spiritus diuini dona in vnum
ZIMMERMANNVM facta conspiratione coiue-
rant, vt quae seorsim singula alios homines alte
euehore solent, in eo exornando confluxisse vi-
deantur, et delectum rerum laudandarum red-
dant longe difficillimum.

MAGNA sunt, quae natura ipsi impertiuerait be-
neficia. Erat insolita nascendi felicitate, ab in-
genii facultatibus instructissimus, ad quas cum
accederet culturae et exercitationis usus, opti-
mus ingeniorum magister, reddebat, omnia
clare peruidendi, imaginandi, recordandi, sin-
gula discernendi, comparandi, iudicandi per-
titissimus. Factum est hac re, ut quam alii
aliunde

aliunde operose conquirunt, et suam aegre faciunt doctrinam, eam noster foecunditate ingenii domi in fertilissimo agro enatam et laetissime succrescentem haberet, et vbiunque occasio postularet, largissimum cogitationum prouentum ferret, ac nullibi locupletior rediret, quam ab ingenio suo. Multum id in omni eruditione ipsi profuit, et ad pretiosissimum tempus lucrandum, progressuumque incrementa acceleranda, et ad aequabilitatem doctrinae incredibilis, qua quidquid differeret, scriberet, a se ipso numquam discessit sibi numquam dissimilis. Perficiebat hanc felicissimam ingenii indolem animi alacritas, qua mirifice pollebat, cum singulari morae et desidiosae inertiae impatientia. Solebat ex re minima magnum et generosum impletum capere, intendendi animum et praeclaras moliendi, qui eundo vires acquirebat, nec ante remittebatur, quam propositi compos factus. Pepererat haec animi actuosissimi contentio eam laborum pertinaciam, ut nec otium, a quo natura et consuetudine, quae ipsa altera natura est, abhorrebat, sibi indulgeret umquam, sed varietate et commutatione occupationum vteretur ad curas et cogitationes ex animo protrudendas, in quas se altius praecepitauerat, neque alii, qui apud eum auctoritate multum valebant, quietem et laborum remissionem impetrarent. Corpus habebat ad gratiam, ipsa forma ab aliis

aliis ineundam compositum, et ad intemperantiam laborandi satis diu sustinendam, a prouida natura confirmatum: donec ferendis oneribus impar animum desereret, et intermissionem laborum imperaret. Excellebat eloquentia, quam naturae beneficio habebat copiosissimam, humilitate increbili, qua ab austera morositate et erudito supercilie alienus facilem se et sine levitate iucundum omnibus praebuit, et morum ac conuersationis suavitatem, qua omnium ordinum hominibus se ita attemperauit, ut singulos sibi deuinçiret.

SVNT his omnibus maiora, quae litterarum studiis accepta retulit et a pertinacissima diligentia habuit ornamenta. Dignus fuit omnium iudicio, qui non solum ex proletariis et capite censis eximatur, sed clasicis etiam ac primi et senatorii ordinis hominibus accenseatur in ciuitate erudita, hoc tempore nostro numorosa; et in ciuium tabulis conficiendis admodum accurata. Philosophum se praestitit intra sindonem receptum, curata doctrinarum scientia imburum. Non enim ad fucum faciendum, aut inanem gloriam captandam has litteras salutauerat, earumque difficultatem expertus cum vocibus et formulis aufugerat: sed deliberato prudentissimoque consilio in earum recessus ita penetrauerat, ut nihil harum rerum ipsi esset non perui-

perium, cognitum et familiare. Didicerat in primis rerum rationes scrutari, veri rectique leges ex originibus repetere, et ita in omni hoc negotio versari, ut a peruersa quorumdam hoc nomen mentientium consuetudine, qui incredibili mutatione ex philosophia historiam faciunt se demonstraret remotissimum. Edidit in hoc genere aliquot *disputationes IENAE* habitas, praeterea *tabulas logicas*, quibus aditum ad recte ratiocinandi dexteritatem omnemque eruditionis ambitum pandere studuit, et, qui liber primo loco nominandus fuisset, *principia omnis humanae cognitionis de D E O, mundo, homine, lectu dignissima*, quibus praecipue multa tentauit in his spinosis rebus perspicue et utiliter explicandis. Potuisset in hac disciplina unus inter primos fieri, nisi theologiae se vindicasset totum, et in hac omnium principe doctrina, aliquis ex secundis quam in illa primus omnium esse maluisset, in qua a se suaque praestantia non discessit. Quam reconditam plerarumque huius diuinae scientiae partium cognitionem fuerit consequitus, testamur auditorum conscientiam cum aliquot sermonum editorum monumentis. In nulla disciplinae theologiae prouincia peregrinus fuit: dogmaticam tamen et moralem ut proprium fundum exolendum summis, in quo praeceptor rem **BVDDEV M** orbi eruditio reddidit, docendo que expressit, in eo certe ipso non inferior ut

E 5

animos

animos fortius moueret, suauius demulceret, celerius ad DEVVM alliceret, et sermones sacros in concione solemni haberet cum delectatione efficacissimos.

MAXIMA denique sunt et his laudibus longe priora, quae diuinitus in ipsa spiritus diuini disciplina consequentus est dona, quibus destitutus magnus forte in ciuitate erudita euadere potuissest, populo DEI prodesse, de re sacra bene mereri, aeternitati viuere, theologus esse non potuisset. Pietate fuit in DEVVM feruentissima, cui intemerata fide, casta mente adhaesit, atque in religione personam, non rem agere nefas arbitratus, sancte cauit, ne quas aliis grauissime praeciperet, DEO seruiendo, eius offensiones vivandi gratiamque apud ipsum per CHRISTVM ineundi leges viuendo destitueret. Salutis viam noluit docere magis quam viuere aliisque ipse praeire: quare seuerum se gessit sui ipsius censem, et omnem lapidem mouit, ut arctius in dies atque intimus cum DEO coalesceret. Inusitato rerum terrenarum, quibus quotus quisque non implicatur? fastidio et generoso contemtu animalium tricis expediuit, ac perniciissimo volatu in liberiorem aeternitatis auram ad splendidam CHRISTI gloriam contendit: longe infra diuinam maiestatem, quam affectabat, fore ratus, ut inani pompa quisquiliarum et sordium tentaretur, aut ad

ad ea retraheretur, quae vel retro respicere indignabatur. Iuuit hanc umbrarum despiciens veri summi boni, quod in CHRISTI facie viuis coloribus representatum deprehenderat, cognitione: quae eius cogitationes, obtutus, desideria mentem denique omnem in diligentem sui contemplationem pertraxerat.. Totus in hanc CHRISTI sui cognitionem defixus, in quaestuosam sui et omnium rerum reliquarum oblinionem ita cesserat, ut quidquid sibi relictus ex animi sententia meditabatur, loquebatur, moliebatur, CHRISTVM id saperet, redoleret omne.

INTELLIGITIS, ciues, quam rarum naturae, litterarum et religionis in ZIMMERMANNO peculium habuerimus, quod iratone, an benigno numine vobis erectum sit, ipsi iam apud animos vestros reputate. Grauissimo hoc casu moniti in rem vestram abite, malum omen academie deique populo auertite, iram numinis supplicationibus expiate, animae de vobis bene meritae requiem et felicitatem, exuviis leuem terram, VIDVAE moestissimae doloris et miseriarum leuamentum, familiae afflictae et amicis DEVVM consolatorem precamini. Imaginem doctoris vestri memori mente reponite, ultimumque hoc eius manibus officium grati exhibete, ut cras hora a meridie

76 PROGRAMMA ACADEMICVM II.


meridie secunda in aede scholaſtica frequentes
confluatis, sermonem ſolemneſ a venerando
collega oratore facundiffimo, GOTTH. AVG. FRAN-
CKIO, pro concione funebri habendum animis
fauentibus audituri. P. P. in academia fride-
riciana, die xvii aprilis, qui ex sanctiorum fa-
torum conſuetudine praecedit domi-
nicam palmarum.



SVC-

SUCCINCTA COMMENTATIO
DE
**VETERVM TEMPORIBVS
MEMORIAE CHRISTI
VITAE RESTITVTI
SACRIS**

QVA
NOMINE ACADEMIAE
SOLEMNIA PASCHATOS
INDICVNTVR.



QVOD ORBI CHRISTIANO , ACADEMIAE nostrae et vobis omnibus, CIVES aestumatissimi, felix, faustum ac salutare sit, redit iam auspicatissima dies anniuersariae memoriae CHRISTI, mortem cum vita commutantis, sacra: ad quam pie concelebrandam quum maiorum rieu inuitandi estis; religionem veterum CHRISTIANORVM in temporibus huic memoriae consecrandis exemplo vobis, quod imitemini, proponendam esse putauimus. Vbi id nobis negotii datum esse arbitramur, ut primum ipsa haec solemnia recondita antiquitate venerabilia in tabula breuiter exhibeamus, deinde in rationes harum consuetudinum inquiramus, et tandem quid nostri officii sit in legendis sanctissimis his vestigiis commemoremus.

SCILICET prisci cultores IESV domini, religiosissimi mortales, legem quam PAVLVS, CHRISTI legatus, TIMOTHEO tulerat, μνημόνευσ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγγερμένον ἐκ νεκρῶν, memento IESVM CHRISTVM redeuntem ex mortuis (a) iure suo ad se in vniuersum pertinere crediderunt. Quam ob rem in pia huius memoriae consecratione studiosissime elaborarunt. Atque obuiam ituri obliuioni, quae vel grauissimas cogitationes ex animo ddere solet, nisi excitentur iterum iterumque, et ad imaginationis regulam, ope temporum rituumque ipsis consecratorum, ex fugientibus vmbbris crebro ad animum reuocentur: huic in primis benefi-

(a) II. TIM. II. com. VIII,

beneficio recolendo plura tempora sacra esse voluerunt. In tres ordines illa commode satis distingui posse videntur, quod singulorum dierum, hebdomadum, annorum partem aliquam illi officio antiquitus deuotam fuisse deprehendimus. Sicut enim ipsi CHRISTI legati, testes euocati huius resurrectionis (b), et primi ipsorum discipuli nihil antiquius existimarent mentione frequentissima huius reditus IESV ex morte (c): ita ipsorum auctoritate factum est, ut dierum in festos profestosque ex ISRAELITARVM tabulis discrimine sublato, omnis sacrorum publicorum et conuentuum agendorum celebritas CHRISTO, et huic ipsis per mortem in vitam itineri consecrando dicaretur. Ipse PAULLVS post unicum sacrificium CHRISTI Corinthiis propositum, huic ferias peragi iubet (d). Neque primis a CHRISTO saeculis alia festa in veterum monumentis occurrunt, quam quae huic memoriae sacra fuerunt, ad quae temporis progressu anni versariae hominum supplicio in CHRISTI caussa enectorum commemorationes accederunt, et tandem reliquorum beneficiorum, quae CHRISTO accepta referimus solemnitates (e).

AT-

(b) ACT. I. com. XXII. ca. III. co. XV. ca. X. co. XXXI. (c) ACT. II. co. XXIII. XXXII.

ca. III. co. XV. ca. III. co. X. ca. X. co. XXXX. ca. XIII. co. XXX. XXXIII. ca. XVII. co. XXXI.

(d) I COR. V co. VII. VIII. (e) conf. ROD, HOSPINIANVM de festis christianorum cap. I. et II.

IOACH.

ATQVE ut per gradus haec tempora CHRISTO ex morte suscitato consecrata lustremus, a quotidianis veterum sacris initium faciemus, quae antiquissima quidem fuerunt, pro illius temporis simplicitate tamen ad certam horam nulla lege adstricta, sed liberiora, ex temporum et locorum commoditate interdiu aut nocte celebrata, donec post ordinatas precum horas statas, antelucani conuentus huic in primis resurgentis CHRISTI memoriae tribuerentur. In ipsas diuinis tabulas relatum legimus, sub laetissimis regni CHRISTI auspiciis coiuisse ciues ipsius quotidie ad preces fundendas, hymnos canendos, cibum diuinum capiendum et memoriam mortis vitaeque SERVATORIS sancte obeundam. Quae consuetudo diu satis continuata, tempore calamitatum publicarum obseruabatur maxime, magnumque ad primaevam fortitudinem in superandis cruciatibus monumentum habebat. Neque poterat epulum solemne, ad memoriam IESV piaculari supplicio sublati vitaeque restituti ordinatum (f), celebrari quotidie, sine quotidiana huius transitus CHRISTI ex morte in vitam celebratione.

Quod

IOACH. HILDEBRANDI libr. singularem de festis, GISB.
VOETIVM de sabbato et festis in disp. select. part.
III. atque in primis MART. CHEMNITIVM in examine
concilii tridentini part. III. ad finem, et reliquos
huius argumenti scriptores, quos recenset celeberr.

IO. ALB. FABRICIVS in bibliographia antiquaria ca.
X. §. XX. (f) I COR. XI. co. XXIIII, XXV, XXVI.

F

(g)

PROGRAMMA

Quod in africanis coetibus inualuisse CYPRIANVS (g) perhibet. HIERONYMVS idem de romaniis et hispanicis affirmat (h) AVGVSTINVS autem in multis locis id obtinere suo tempore docet(i). Et postquam saepius quotidie conuenire cooperunt CHRISTIANI ad communes preces; quod mane ac vesperi primum, deinde alicubiter, postea quinques, et septies tandem labante et in formulas ritusque abeunte re sacra, factum esse constat (k): vigilia autelucana singulorum dierum non facile praeteriit sine laeta grataque commemoratione excitationis CHRISTI ex morte, quae in illud diei tempus inciderat; adeo ut illa conuocatio nocturna ante lucem, quae laudum nomen fortita est, huic celebritati sacra esse videretur. ISIDORVS (l) testis est, *diluculo orari ut resurrectio Christi celebretur* (m).

MAIOR

- (g) epist. XXXVI. al. XXXVIII. ad THIBARITANOS et LIII alias LVII ad CORNELIVM et in libro *de oratione dominica*. (h) Epist. I ad PAMMACH. contra IOVIN. cap. VI et Epist. XXXVIII ad LVCIANVM. (i) Epist. CXVIII. ad IANVAR. ca. III. conf. IOACH. HILDEBRANDI enchirid. de sacris publicis priscae ecclesiae cap. III sect. I. et Ios. BINGHAM origines lib. XV. cap. VIIIIS. IIII vbi pluribus testimoniis EVSEBII, BASILII, CRYSTOMI quotidianae synaxeos veterum fidem facit. (k) conf. CASP. CALVOERI *rituale eccles. part. II sect. II cap. III.* et Ios. BINGHAM *originum lib. XIII. cap. VIIIIS. §. VII. et VIII.* vbi horarum precandi canonicarum ortus traditur. (l) *de ecclesiast. officiis lib. I cap. XXXIII.* (m) conf.

10.

MAIOR semper et solemnior fuit hac quotidiana CHRISTI in vitam redeuntis memoria, eiusdem celebratio singulis hebdomadibus instaurata, quarum primum quemque diem huic solemnitati sancte deuouerunt CHRISTIANI, quod diuinis scriptores a primis initiis coetus CHRISTO collecti saeculum suisse non obscure indicant. LVCAS grauissimus huius veterimae consuetudinis testis est (n), dum refert PAVLLVM TROADE discedere noluisse ante sermonem in concione publica habitum, eamque ob caussam primam hebdomadis diem exspectasse, qua CHRISTI discipuli tunc temporis coire consueuerint. Quod ipse PAVLLVS confirmat, quum CORINTHIOS ad stipem pauperibus primo quoque die hebdomadis colligendam hortatur (o). IGNATIVS ita iubet CHRISTIANOS vivere (p), μηκέτι σαββατίζοντες, ἀλλὰ κατὰ νεονάνιαν ζῶντες, εἰν ἡ καὶ ζῶν ἡμῶν ἀνέτελεν δι' αὐτοῦ, καὶ τοῦ Σαβάτου αὐτοῦ, ut non sabbatum celebrent sed domini diem digne agant, qua vita exorta sit per CHRISTVM et mortem eius, et IV-

STI.

IO. BONA de diuinis psalmodiis in primis ca. V. §. II.
vbi veteres et medii aei scriptores producit,
qui resurrectionis memoriam principem finem
grauissimumque argumentum matrinorum so-
lemnium constituunt. (n) ACTOR. XX co. VI.
VII. (o) I COR. XVI. com. II. (p) Epist. ad
MAGNESIANOS n. VIII, quae verba CLEMENS ALE-
XANDR. Stromat. VII. de mandato celebrandi diem
primam hebdomadis explicat, idem IGNATIVS I. c.

F 2

hanc

STINVS MARTYR ita hanc consuetudinem commemorat (q), τὴν τοῦ ἡλίου ἡμέραν ποιῆται τάντες τὴν συνέλευσιν ωοιούμεθα, ἐπειδὰν - - - Ιησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ εἰν νεκρῶν ἀνέση, solis die communiter conuentum agimus, quandoquidem IESVS CHRISTVS SERVATOR noster eo ipso die a mortuis surrexit. Qui simul indicant IOANNEM (r) facta mentione diei domini, hanc primam diem intellexisse. Atque eadem hac denominatione, accendentibus veterum testimoniis evidentissimis idem perhibentibus (s), edocemur, rationem huius prae reliquis cultui diuino et sacris publicis dicati diei, fuisse unam omnium facile principem, vt memoria redditus CHRISTI in vitam, quae hoc primo hebdomadis die euenerat, sanctius coleretur. Neque potuit PLINIUS de alio die loqui, dum ad TRAIANVM scripsit (t) christianos solitos esse statim die ante lumen conuenire, carmenque CHRISTO quasi deo dicere secum inuicem, seque sacramento obstringere. Quid quod ipsa calumnia ab hominibus aduersus

CHRI-

hanc diem vocat, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν Σαστίλια, τὴν ὑπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. (q) in *apolog. II.* (r) APOC. I. com. X, cf. celeberr. IOH. CHRISTOPH. WOLFI curas philolog. ad b. l. (s) quae collegit IO. CASP. SVICERVUS in *thesauro ecclesiast.* sub voce κυριακὴ. (t) *Libr. X. epist. LXXXVII.* ad quam conf. illustris academ. directo. iis IVST. HENN. BOEHMERI *dissert. Iuris ecclesiast. antiqui ad PLINIUM SECUNDVM et TERTULLIANVM.* (u)

CHRISTIANOS pessime animatis insidiose excogitata,
 qua cultus, quem soli exhiberent, accusabantur,
 hunc primi diei celebrandi morem comprobant:
 vnde illam ortum traxisse, incrementa certe ce-
 pissem, et aliquem colorem verique speciem ob-
 tinuisse TERTULLIANVS perhibet (u). Nam quum
 fictarum diuinitatum patroni animaduerterent:
 nouae huic religioni addictos imaginibus deorum
 carere, diem primum soli sacrum, vnde ex con-
 sueta ROMANORVM et GRAECORVM formula solis
 dies vocabatur, religiose transigere, ad solis
 ortum conuenire, preces solemnes astantibus
 facie ad solem orientem versa fundi, sacra de-
 nique ipsorum personare vocibus solis, luminis,
 lucis aeternae, qua ipsum CHRISTVM intellige-
 bant, illuminationis, et illuminatorum, vti aqua
 solemni initiatos vocabant: perquam ipsis fictu
 facile erat, religione solis haec omnia fieri (x).
 Qua obtreclatione certiores omnino reddimur de
 celebritate huius diei ubique locorum a CHRI-
 STIANIS antiquitus obseruata (y). Soliti autem
 fue-

(u) *in apologetico ca. XVI. et libr. ad nationes ca. XIII.*

(x) cf. CHRIST. KORTHOLTI *paganum obtreclatorem*
libr. II cap. II, quod totum in hac heliolatria amo-
 lienda consumitur. (y) Vberius hoc confir-
 matum iuerunt praeter plerosque histor. sacrae et
 dogmatum scriptores curatores, IAC. ALTINGIUS in
 tractatu *de sabbato, tom. V operum, CASP. CAL-
 VOER in rituali eccles. part. II sect. II cap. VI*
 IO. PEARSON *ad symbolum apostolicum pag.*

fuerunt veteres illo die solemni feriari, a ieiunio abstinere, laetitiam festiuam curare, frequentiores conuentus agere, cibum sacrum capere, vnde eadem *dies panis* vocari coepit, lectio tabularum diuinarum vacare, recitationibus et adhortationibus doctorum operam dare, preces communes stantes fundere, numquam genibus flexis aut humi prostrati, quod in luctu siebat, omnem denique diem piae hilarique memoriae et laudibus CHRISTI ex morte in vitam reducis tribuere, quam ob rem eundem *divasáστιμον* dixerunt (z).

SEQVITVR iam tertium tempus CHRISTO vitae restituto deuotum, idque anniuersarium, summa

CCCCXLVIII. edit. lat. et qui reliquos testimoniorum copia et selectu superat IOS. BINGHAM *originum lib. XX cap. II §. I.* alios plures exhibet litteratissimus IO. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiqu. cap. X §. XIII.* (z) conf. IO. CASP. SVICERVS *in thesaur. eccles. sub voce ημέρα et διατάστιμος*, atque in primis LEO ALLATIVS *de hebdomadibus et dominicis graecorum ad finem libri de eccles occident. et orient. consensione*, vbi pag. MCCCCXII ex *euchologii graecorum demonstrat*, singulis diebus domini, in formula solemni, qua sacerdotes post sacra peracta concionem dimittunt occurrere verba CHRISTI *qui resurrexit ex mortuis*, aliis autem diebus eorum loco in missione coetus adhiberi verba CHRISTVS *verus deus noster*, quod documento esse potest, diem domini semper habitam fuisse resurrectioni eiusdem celebraudae sacram. (a)

ma semper festiuaque solemnitate et effusissimis laetitiis celebratum quod PASCHA veteres dixerunt, voce non solum a IUDAIS desumpta, sed ex ipsa eiusdem proprietate huc translata. Licet enim nonnulli christiani populi doctores graecam ipsi dederint originem, et a cruciatibus CHRISTI deriuarint, quod in plerisque ebraeis vocibus ex nimio alios ad sacras cogitationes excitandi studio magis, quam ignoratione genuinae significationis factum fuisse videtur (a): plures tamen rectiorem et exploratiorem illius nominis rationem reddunt, quod salutaris CHRISTI transitus per mortem in vitam eo tempore festo celebretur. Auctoriis ipsis CHRISTI legaris haec solemnia inualuisse, aut certum anni diem iisdem constitutum fuisse negat SOCRATES (b), qui asseuerat, nullib[us] apostolum neque euangelia iugum seruitutis christianis imposuisse, sed festum paschatos et reliqua ex consuetudine ad salutarem memoriam CHRISTI ordinata fuisse a christianis, nulla lege domini aut ipsius legatorum ea obseruare iussis. Idem NICEPHORUS testatum reliquit (c). Nemini tamen in antiquis ciuitatis sacrae monumentis versato dubium esse potest, fuisse haec annua solemnia reliquis omnibus antiquiora, et a temporibus, quae ad apostolos

F 4

pro-

(a) Quod IS. CASAVBONVS exercit. XVI ad annales BARONII erudite disputat. (b) bish. eccl[esiast] lib. V cap. XXII. (c) bish. eccl[esiast] lib. XII. cap. XXXII. (d)

proxime accedunt, vbiique locorum obtinuisse: quod ipsa occidentis ab oriente dissensio funestissima, et controuersia de die statu paschatis, magna animorum contentione saeculo secundo et tertio agitata, et per patres conscriptos nicaenos demum composita, satis demonstrat. Numquam enim ita a se dissidere potuissent CHRISTIANI, si quid illius rei a CHRISTI legatis sanctum aut certa consuetudine obseruatum fuisset: neque tamen ab utraque parte ad apostolorum consuetudines prouocatum fuisset, nisi eosdem annuam resurrectionis huius memoriam celebrasse inter omnes constitisset. (d). Hoc certe in controuersiam numquam venit, esse hanc memoriam solemnisime consecrandam: cui negotio non solum integrum hebdomadem sed duas continuas, quae diem hunc solemnem proxime antecedit et eundem excipit, imo septem illas omnes, quae inter pascha et pentecosten intercedunt, veteres dicarunt. Praegressa hoc festum hebdomas magna et sancta, quam GRAECI πάσχα ταυρώσιμον vocarunt (e), inter ieuniū conuentus sacros, et

sup-

(d) conf. FRID. SPANHEMII *introd. ad histor. sacr. saec. II sc̄t. XIII.* et CL. FLEYRY *histoire eccl. tom I.* pag. CCCCXXXVIII, et CCCCLXXXVI.

(e) conf. GERH. IO. VOSSIUS *de vitiis serm. cap. VI* et LEO ALLATIUS *de bebdom. graec. pag. MCCCCX.* qui luculenter demonstrat graecos confueruisse in fastis sacris hebdomadas non a die prima seu dominica, quae antecedit, sed a subseiguiente deno-

supplicationes solemnes transigebatur. Ipsum autem paschatis diem, vna cum nocte anteecedente, quam insomnem ducebant, dici non potest quanta festiuitate, solemniumque sacrorum celebritate condecorarint antiqui CHRISTIANI in omnes laetitias, caritatem mutuam, conuentuum frequentissimorum, hymnorum canendorum et sacramentorum peragendorum solemnitates toti effusi (f). Patet illud ex GREGORII NAZIANZENI orat. XXXII. quae in PASCHA secunda est: vbi facundissimus doctor in exordio post sermonem angeli propositum sic exclamat. Πάσχα, κυρίου πάσχα, καὶ πάλιν ἐρῶ πάσχα, Τιμὴ τῆς τείαδος. Αὕτη ἐορτῶν ἡμίν ἔσεται, καὶ πανήγυρις πανηγυρεων. τοσῶτον ὑπεράρουσα πάσας, οὐ ταῖς αἰνθρωπικαῖς μόνον καὶ χαμαὶ ἐρχομένας, διὰ ἥδη καὶ τὰς αὐτοῦ χριστού, καὶ ἐπ' αὐτῷ τελουμένας, ὅσον αἰσέρας ἥλιος. Καλὴ μὲν καὶ ἡ χθείς ἡμίν λαμπεροφορία καὶ Φωταγωγία, ἣν ιδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ συνεισπάμεθα πᾶν γένος αἰνθρωπων μικρὸν καὶ ἄξια πᾶσα, δαψιλεῖτῶ πυξὶ τὴν νύκτα καταφωτίζοντες, καὶ τοῦ μεγάλου Φωτὸς αἰντίτυκος. --- Καλλίων δὲ, ἡ σήμερον καὶ

F 5

περι-

denominare, vnde illa appellatio paschatos ad praegressam hebdomadem transuecta videtur.
 (f) conf. CHRIST. WILDVOGELII *chronoscopiam legalem cap. II.* CASP. CALVOERI *rituale eccles. part. II sect. II Cap. XXXIII.* et Ios. BINGHAM *origines lib. XX cap. V §. V-VIII et lib. XV cap VIII §. VI.*

(g)

περιΦανετέρα. ὅσῳ χθὲς μὲν πρόδρομον ἦν τοῦ μεγάλου Φωτὸς αἰνισταμένον τὸ Φῶς, καὶ ὅιον ἐνΦεοσύνῃ τὶς προέορτιος, σήμερον δὲ τὴν αἰνάτασιν ἀυτὴν ἔσταιζομεν, οὐκ ἔτι, ἐλπιζομένην ἀλλὰ ἡδη γεγεννημένην, καὶ κόσμον ὅλον εἰσιτῆ συναγούσαν. *pasc̄ha, paseha domini, iterumque pascha dicam in honorem trinitatis.* Haec nobis festiuitatum festiuitas, et celebritatum celebritas, tanto caeteris omnibus, non solum humanis et humi defixis, sed iis etiam quae ipsius CHRISTI sunt, ac propter ipsum celebrantur, superior quantum sol stellas antecellit. Praeclara quidem nobis quoque fuit besterna facium ac luminum gestatio, quam priuatim publiceque peregrimus, omne genus hominum ferme, atque omnes magistratu insignes, largo igne noctem illustantes, magnumque illud lumen referens: --- at hodierna praeclarior et excellentior, nam hodiernum lumen magni illius luminis exsurgentis praeenuntium erat et veluti profesta quaedam animorum voluptas. Hodie autem ipsam resurrectionem celebramus, non in spe positam, sed iam ortam, mundumque totum sibi conciliantem. Et paullo ante haec verba: σήμερον σωτηρία τῷ κόσμῳ ὅσος τε ὄρετος καὶ ὅσος αἰόλατος. Χριστὸς ἐν νεκρῶν, συνέγειρεθε. Χριστὸς εἰς ἑαυτὸν, ἐπανέγειρε, Χριστὸς ἐκ τάφων, ἐλευθερώθητε τῶν δεσμῶν τῆς ἀμαρτίας. *Hodie salus mundo, tam visibili quam inuisibili, CHRISTVS ex mortuis: simul surgite! CHRISTVS ad se: redite! CHRISTVS ex sepulcro:*

pec-

peccati vinculis soluamini! Solemne sacramentum aqua lustrali initiandorum hoc potissimum die administrabatur: vnde ob vestes albas, quibus recens iniciati vtebantur λαμπροφόρος ἡμέρα (g) lucens et splendida dies magis, quam a cereis fācēris lucernisque nocturnis vigilias praegressas ilustrantibus, vocari confueuit. Cibus diuinus corporis et sanguinis CHRISTI eo die communiter capiebatur, a quo non facile quisquam tunc aberat aut arcebatur: vnde postea rarius et semel dumtaxat per annum eodem vescendi consuetudo saeculo XIII stabilita, perperam tamen, inualuit et contra sententiam primorum CHRISTIANORVM, qui ab eiusmodi cibi huius, neglectu longe fuerunt alienissimi (h). Acclamationum praeterea mutuarum iteratione, cuius reliquiae inter GRAECOS manserunt, dum eo die conceptis verbis surrexit dominus, vere surrit se inuicem laetissimae huius reicertiores faciunt, donis etiam et largitionibus publicis aequa ac priuatis, atque sub imperatoribus CHRISTVM collentibus libertate et impunitate captiuis donata, haec annua sacra celerabantur, quae ad *antipascha* usque, seu *diem dominicam nouam* et in *albis dictam*, atque ad ipsum quinquagesimum diem

F 6

omni

(g) conf. IOH. CASP. SVICERVs in voce λαμπροφόρος.

(h) cf. B. PAVL. ANTONII nostri programma de *pietate paschali veteris ecclesiae*, quod inter ipsius collecta programmata sectionis II secundum est, et celebritatem synaxeos paschalidis pertractat.

omni festivitatis genere producebantur. Quam feriarum diurnitatem TERTULLIANVS (i) testatur, AMBROSIVS autem si describit (k) per hos quinquaginta dies nobis est iugis et continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore, neque ad observandum indicemus ieiunia, neque ad exorandum DEVVM genibus succidamus: instar ergo dominicae tota L dierum curricula celebrantur, et omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrecio enim dominica est, nam in dominica resurgens SALVATOR reuersus ad homines est, et post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus commoratus.

EA SI QVIS cogitauerit, certe non mirabitur fuisse hanc diem PASCHATOS a veteribus vocatam principem omnium et maximam diem, festum festorum, fontem et fundamentum reliquorum festorum (l): nec difficulter intelligeret illos tanti fecisse haec sacra ut nihil supra; adeo ut quidquid solemnitatum diuinis oraculis conuenire crederent, id omne huc conferendum esse arbitrarentur. Verum ut sunt humanae res omnes aegerrime suis limitibus et mediocritate circumscribendae, religiosissimi hi veterum mores (m) postquam ad fastigium excreuerunt, tem-

po-

(i) *de idololatr. c. XIII. et de baptismo cap. XVIII.*
 (k) *serm. LXI.* (l) Potuit haec denominatio exinde enasci, quod festorum antiquorum mobilium compurus a paschate pendebat, et multi annum sacrum ab eodem inchoabant. (m) Conferendi sunt post antiquitatum sacrarum scriptores

porum succesu tandem in superstitiones, febriculosas nugas et umbras aut festiuitates profanas et saturnalia sanctissimo CHRISTO indigna, degenerarunt. Cuius tamen corruptionis vettimi CHRISTIANI, purissimi homines, non reius accusantur, quam ipse CHRISTVS nefandorum scelerum, quibus sacra ab ipso instituta contaminata umquam fuerunt.

SATIS PRO instituto iam disputasse nobis vide-
mur de ipsis temporibus CHRISTO in vitam susci-
tato sacris: erunt iam rationes illorum conse-
cratorum subducendae, ut quid animo voluerint
cordatissimi maiores, hac sua in CHRISTVM pietate
his solemnibus restificata, intimius perspicia-
mus. Sicut enim neque omnia, neque omnino
nihil primis CHRISTIANIS, apostolorum discipulis,
tribuimus, quos homines quidem, mirifice tam-
en in CHRISTVM amore, diuinoque spiritu ani-
matos esse bene meminimus: ita neque ipsos coe-
co impetu sectamur, neque pios ductores negli-
gimus, sed perspectis ipsorum agendi rationibus
praeeuntes sponte et acriter, licet pro tempo-
rum calamitate impari gressu, sequimur. Rede-
unt autem, ni toti fallimur, rationes illae ad qua-
tuor argumenta, quibus integerrimi homines ad
memoriam CHRISTI in vitam reducis toties rec-
lendam, et tam religiose consecrandam moti fuis-
se evidentur.

PRI-
res, libri de moribus antiquorum christianorum
facile parabiles CL. FLEVRY, WILH. CAVEI et GOT.
ARNOLDI.

(11)

PRIMVM EORVM EST, quod CHRISTVM et ipsius
piaculare hoc mortis vitaeque iter fontem et vni-
cum principium salutis esse, probe cognoverunt,
fuaque hac pietate declaratum iuerunt. Erant
enim ab ipsis CHRISTI legatis edocti, DEVM pec-
catis hominum lacessitum, hac IESY morte expia-
toria, qua legibus violatis satisfactum fuit, non
solum hominibus conciliatum esse, verum etiam
consequuta eiusdem in vitam restitutione illam
hominum expiationem reddidisse testatissimam,
fidemque publicam fecisse tam rediisse se in gra-
tiam cum genere humano, quam omnia a CHRIS-
TO dicta gesta et sancta probari sibi rataque ha-
beri (n). Habebant praeterea exploratum, pa-
rasse CHRISTYM hoc transitu suo viam immortalis-
tatis, dedito hominibus exemplum hac transfe-
undi, ac peperisse iisdem et ius legitimum et vi-
res necessarias, nouam, divinam, aeternitate
dignam, neque ipsa morte finiendam vitam vi-
vendi (o). Neque ignorabant spem omnem re-
stitutionis exuiarum, ossium cinerumque no-
strorum, et redditus animarum in pristina domi-
cilia longe ipsis aptiora redditia, inniti hoc CHRI-

STI

(n) ACT. II com. XXIII. cap. III com. X. cap. XIII
com. XXV. cet. ROM. III com. XXIII. XXV. EBR.
XIII com. XX. coll. ACT. XVI. com. XXXVII.
quorsum et pacis significatio pertinet frequen-
tissime ab ipso CHRISTO vitae reddito repetita,
qua suos liberos et salutis certos esse iussit.
(o) I-PET. I com. III. cap. III com. XXI. ROM. VI
com. III.

(p)

sti capit is ex morte in vitam transi rū (p). Atque
has doctrinas, in quibus cardinem omnis salutis
verti prouidebant, hoc publico et solemnī cultu
certissime conseruari, ad usum commendari, et
ad posteros rectissime propagari posse credide-
runt.

SECVNDA ratio, quae CHRISTIANOS mouit ad
hanc temporum curam, fuit, quod experiundo
didicerunt nemini ante prodesse hanc CHRISTI
mortem vitamque, quam viua eiusdem cogni-
tione, certaque applicatione singuli salutis indigi-
cupidique utramque suā fecerint et eiusdem
societatem iniuierint (q). Intellexerunt animum
excitandum esse ex somno morteque cupidita-
tum, incuria felicitatis, et aeternarum rerum
neglectu, conuertendumque versus caelestium cu-
ram, ipsum DEV M et eius coniunctionem, atque
fursum semper sublimiusque euehendum, neque
id vna alterae fugaci cogitatione peragi, sed fe-
riis meditationibus, intensissimis curis, et lon-
giore animi in eo occupati et desixi studio omni-
no opus esse. Quam ob rem solemnem operam
dederunt, omnemque mouerunt lapidem, ut
grauissimis his doctrinis animus ad se rediret,

con-

(p) I COR. XV. com. XX. seqq. ROM. VIII com. XI. I
THESS. IIII com. XV. praeclarē haec prosequitur
HUMPH.DITTON in demonstrationis doctrinae christia-
nae ex resurrectione IESV part. III cap.XIII. (q) EPH. V
com. XIII. ROM. VI com. III. XI. COL. II. com. XII.
ACTOR. III com. I. II. (r)

concitatissimis cogitationibus, obtutibus et desideriis in CHRISTVM, salutis et aeternae felicitatis instauratorem ferretur, totusque in eius amplexus rueret atque sic aeternitati restitueretur et vere aeternumque reuiuisceret. Prouiderunt denique vacandum esse huic studio, feriandumque per tempus, ne animus in partes pluresque curas distractus minori, quam par est, intensione grauissimam hanc rem agat: neque semel dumtaxat peragi, aut vna, licet enixissima, opera absolui arduum hoc et aeternum negotium, sed crebrius et frequentius iterandum esse, donec sanctissima consuetudo, quae altera natura est, contrahatur CHRISTVM colendi, spirandi, vita moribusque referendi. Quam ob rem toties hoc officium instaurandum esse duxerunt.

ACCESSIT tertia cauſa, quod partium suarum esse animaduerterunt piissimi homines, CHRISTVM immortaliter de salute ipsorum meritum publice profiteri, laudibus celebrare et gratias, si non referre, agere faltem et habere se omnibus modis significare. Apprime perspexerunt, pertinere hoc, si quid aliud, ad officium hominis CHRISTO deuoti, ut non solum salute et immunitate CHRISTI fruatur, sed eidem se haec omnia debere cogitet, honorem beneficiorum ab ipso profectorum eidem deferat, delatumque verbis sermone et omni viuendi ratione testificetur, atque solemni laetitia, accepti beneficij professione et

et celebratione studiosissimam grati animi contentionem prae se ferat.

QVARTA tandem ratio fuit, quod didicerant omnem hanc rem mirifice leuari si communiter agatur, plurimorum latentes spositosque igniculos certius excitari, et fortiorem flamمام concipere in vnum collatos, mutuisque facibus admotis, sparsos contra disiectosque hinc inde facilius extingui. Compertum simul habebant CHRISTVM incredibiliter delectari sanctissima hac ciuium suorum inter se foederatorum societate communibusque studiis: illam autem animorum coniunctionem nec felicius coalescere, nec certius conseruari, nec rectius augeri, quam communibus his sacris, contentibus sanctaque aemulatione.

FACIVNT grauissimae hae rationes, vt nemo cum recta ratione negare possit, recte et laudabiliter haec solemnia instituta, atque multiplici utilitati illis consultum fuisse. Iam igitur ipsimet CIVES AESTVMATISSIMI hodiernos mores CHRISTIANORVM cum hac antiqua maiorum disciplina contendite, atque apud vos reputate, quantum desciuerimus a pristino feroore, debitaque in CHRISTVM pietate, quaneunque recesserimus ab his sanctissimis institutis, quorum vix vola et vestigium superest. Nomina certe antiqua, for-

G formulas

mulas, luctuosissima ruinarum nostrarum rudera
retinuimus, licet a bene multis fatis fastidita,
tristem aliquam imaginem vmboramque ciuitatis
primaevae circum ferimus: res ipsa dudum proh
DEVM IMMORTALEM! inter nos euanuit et illae-
tabile sui desiderium reliquit. Quotusquisque
iam **CHRISTIANORVM CHRISTI mortem vitamque**
ita quotidie meditatur, cogitationibus, preci-
bus, laudibus prosequitur, sancteque laetatur
ut eius particeps euadat, aeternitati vindicetur,
vitamque CHRISTO dignam viuat? Quam frequen-
tes **DOMINI dies praelabuntur plerisque nihil ad-**
modum **CHRISTVM cogitantibus?** Et **BONE DEVS!**
quam vel languent vel profanantur annua sacra,
quamque infra tanti beneficii dignitatem inex-
cusabili neglectu subsident? Adeo iam exsulat
ille pristinus feroor et antiqua fides in fre-
quentandis conuentibus sacris, iisque **CHRISTO,**
qui spiritu magis quam corpore colitur, digne
peragendis, in precibus fundendis, laudibus de-
cinendis, beneficiis **CHRISTI memorandis, atque**
familiari sermone et colloquiis religiose conce-
lebrandis: **vt CHRISTVS ex ciuitate sacra ab ho-**
stibus carmine euocatus esse videatur, atque dis-
similes omnino euaserint CHRISTIANI priscis **CHRI-**
STI ciuibus, licet ipsorum nomen mentiantur,
non sine multo magnoque ciuitatis discrimine;
in primis quum ipsimet, qui litteris et sacris ope-
rantur, atque longe ultra plebem sapiunt, nec
has

has ciuitatis leges ignorant, scire certe poterant
decebantque, lacrimabilem hunc errorem er-
rant, et turpius proinde ac periculosius peccant,
tantum certe in fructibus mortis et vitae CHRISTI
percipiendis, primis CHRISTIANIS inferiores olim
futuri, quantum ab illis superari voluerunt feroce
et seuera CHRISTVM colendi disciplina.


QVOD reliquum est, CIVES CARISSIMI
fancte VOBIS edicimus: PROCVL HINC,
PROCVL ITE PROFANI! IMPII EX-
ESTE! QVISQVIS AD HAEC SACRA
CHRISTI ADEST, HOC AGITO! PV-
RIS MANIBVS, PVRA MENTE ADESTO!
ANIMO ET ORE FAVETO! ATQUE
RELIGIOSE PROVIDETO, NE QVID EX
EORVMDEM PROFANATIONE DETRI-
MENTI CAPIATI Mysteriis CHRISTI VOS
initiatos esse mementote CIVES! ne igitur chri-
stianos simulate, res enim hic agitur non per-
sona, peccata serio expiate, pie salutate animo
que complectimini IESVM ex morte redu-
cem, vestrumque facite SERVATOREM OPT:
quo sine felicitatis iactura non carebitis, neque
tamen dissimulate pietatem in eundem, laudibus
vestris ipsum dignamini, quod bene de VOBIS
meritus est, vt vos sua olim testificatione di-

PROGRAMMA

gnetur, ad sacra solemnia confluente, iisque non
corpo magis quam animo intereste, bona
verba dicite, omnemque operam date ut vita
ipsius apud vos instauretur. Ita veterimos
CHRISTIANOS orbi reddetis, ita temporum
CHRISTO sacrorum numquam vos poenitebit,
ita omnis vestra vita **CHRISTO** sacra fiet, et
ipsimet aeternitati viuetis. P. P. in academia
FRIDERICIANA prid. cal. apr. ex formu-
la sacra **VIGILIA PASCHATOS** anni
ciclo **1500** **CCXXXVI.**



ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR
IAC. GABR. WOLFFIUS
POTENT. PRVSS. REGIS A CONSIL.
AVLICIS IVR. DOCTOR ET
PROF. ORDINARIUS
VNA CVM
CANCELLARIO DIRECTORE
ET
RELIQVO SENATV ACADEM.
PROPOSITO
TEMPORE SPIRITVS DEI
IN PRIMOS
CHRISTI DISCIPVLOS EFFVSI
OMNIVM OPPORTVNISSIMO
SOLEMNIA PENTECOSTES
INDICIT



PROGRAMMA ACADEMICVM IV. 103

Q. B. F. F. Q. S.

VIVENDO IAM attingimus auspicatissimos dies, memoriae DIVINI SPIRITVS in primos CHRISTI discipulos effusi antiquitus consecratos. Ad quos sancte obeundos, ut ex laudabili maiorum consuetudine inuitemini, CIVES AESTVMATISSIMI, ex tanta memorandarum rerum copia vnicum dumtaxat TEM-PVS quo immortale hoc beneficium orbi contigit, vobis proponemus, commonistraturi, fuisse illud a sapientissimo DEO adeo conuenienter constitutum, ut nihil oportunius dici possit, aut accommodatius cogitari ad homines commonefaciendo rebus grauissimis aequae ac utilissimis, scituque omnino necessariis. Nouimus enim auctore SALOMONE, (a) omnia a DEO pulchre fieri suo tempore, seu eo ordine, qui rebus, quae et antecedunt, et simul fiunt, et consequuntur omnium maxime conueniat, plurimumque nostra referre ad consilia DEI O. M. intimius perspicienda et sapientiam infinitam dignius venerandam, harum opportunitatum curatiorem institui cogitationem, et maiorem apud homines rationem haberi. Erit igitur e re nostra, neminique ab religiosa sanctissimi SPIRITVS, in homines collati, meditatione alienum videbitur, felicissimum hoc tempus, in litteras diuinias sollicite relatum, ita a nobis cogitari, ut fines diuinios in illo sic constituendo inuestigemus, atque ea edoceamus

G 4

et

(a) COHEL. III. com. XI.

et agamus sedulo, quae DEVS intelligi fierique ab officii studiosis hac ipsa re iussit. Vbi triplex potissimum consideranda occurrit illius temporis laetissimi definitio, cuius nos LVCAS in describenda hac re occupatus certiores fecit, eiusque rationes subducendae, ut appareat, cur DEVS et festo IVDAEORVM pentecostes, et paucis aliquot ab ingressu CURISTI in caelum diebus elapsis, et hora denique dici tertia exoptatissimum illud miraculum edendum esse duxerit.

DIES ILLVXERAT, cum SPIRITVS discipulis CHRISTI diuinitus illaberetur, quinquagesimus, non tam a reditu CHRISTI ex morte in vitam, quem in ciuitate CHRISTI tempore paschae celebramus, quam a festo IVDEORVM paschae, dieque CHRISTI emortuali, (b) vnde etiam graece pentecoste vocabatur, et ipse festus erat ex ISRAELITARVM tabulis (c).

Quod

(b) Sequimur in eo vulgariorem et a plerisque interpretibus receptam sententiam de paschate a CHRISTO eodem cum Iudeis die celebrato, ut longe verisimiliorem altera de anticipatione eiusdem, quam GRAECI olim defenderunt, ad panis fermentati vsum in epulo sacro ea ratione stabiliendum, multique recentiores suam fecerunt, licet in rationibus illius anticipationis mirifice a se dissideant. Copiofissime nostram sententiam probatum iuit ANTON BYNAEVS *de morte IESV CHRISTI* libr. I pag. XXIII. - LXV, et post illum celeberr. IO. REINH. RVS. *in harmonia euangel.* tom. IIII. pag. CCCCLXXX. et DII. - DVXVIII. (c) LEVIT. XXIIII. com. XV etc. DEUT. XVI com. VIII etc.

(d)

Quod ideo accidisse videtur, tam ut certitudini
huius beneficii consuleretur, ipsique de celebri-
tate eo melius prospiceretur, quam ut finis sacro-
rum solemnum, ab ISRAELITIS eo tempore olim
celebratorum, clarius significaretur. Nam quum
in eo esset benignissimus DEVS, ut ciuitatem CHRI-
STI, promulgatione salutis ab ipso partae condi-
turus, primos eiusdem discipulos, quibus mini-
stris et legatis haec incredibilis rerum animorum-
que per orbem terrarum conuersio peragenda
erat, necessaria doctrina, viribusque ad patran-
da miracula, mentes flectendas, molestias cru-
ciatusque superandos instrueret, et sic fidem de
largitione spiritus sui per vates antiquos datam (d),
et ab ipso CHRISTO saepius confirmatam (e) sol-
ueret, atque hunc IESVM liberatorem generis
humani vere esse sibique probari testatissimum
redderet (f): non in obscuro et paucis homi-
nibus consciis, quorum postea fides dubia vi-
deri poterat, sed in clarissima luce, omni IUDAEO-
RVM populo adstante et inspectante praesenti-
busque innumeris testibus, legatos CHRISTI pu-
blice et solemniter inaugurarci curauit. Lege
diuina

(d) JOEL III com. I IES. XXXXIII com. III EZECH
XXXVI com. XXVII cap. XXXVIII com. XXVIII.

(e) ACTOR. I com. III io. VII com. XXXVIII. cap.
XIII com. XVI. XXVI cap. XV com. XXVII cap.

XVI com. VII, XIII LVC. XXIII com. XXXVIII.

(f) ACTOR. II com. XXXII-XXXVI cap. III com.

XV. cap. V com. XXX etc.

diuina sanctum erat, ut ad haec sacra solemnia
ex PALAESTINA mares in vniuersum omnes con-
fluerent. (g) Quod, postquam IUDAEI per varias
calamitates et migrationes extra PALAESTINAM
peregre viuebant, ab illis etiam hoc maxime
festo ob tempestatem commodiorem fieri consue-
vit, eoque anno solemnii mirifice factum esse LV-
GAS commemorat, qui aliquem censum agit (h)
hominum iudeorum, ipsorumque sacris addi-
torum, ex remotissimis regionibus tunc HIERO-
SOLYMIS hos dies degentium (i). Non potuisse
igitur huic negotio maior celebritas conciliari,
eiusque fama citius ad exterros propagari, quam
hac DEI cura, qua prouidit, ut in gente mira-
culorum cupidissima (k) et ad extraordinarias res
quasuis attonita, vndiquaque in vnum collecta,

tot

(g) EXOD. XXIIII com. XIII - XVII cap. XXXIIII
com. XXIII DEVTR. XVI com. XVI. (h) ACTOR.
II. com. VIII - XI. (i) Videntur nonnullis IO.
LICHTFOOTO in primis in *boris ebr. ad ACT. II.*
com. V. illi homines HIEROSOLYMIS habitasse per-
petuumque ibi domicilium habuisse ob vocem
graecam *κατοικεων*, quod ex communi omnium
MESSIAE hoc tempore aduenturi exspectatione ac-
cidisse existimant. Non possunt tamen peregre
aduentantes excludi omnino, quos hoc anno
maiore quam aliis frequentia attrahere potuerat
fama de iis, quae in causa IESV nuperime acta
fuerunt, longe lateque sparsa, cf. M. V. IO. LVD.
LINDHAMMERI *commentarius in Act. II. com. V.*
(k) 1 COR. I com. XXII. MATT. XII com. XXXVIII
cap. XVI com. I. (l)

tot infimae sortis homines 'galilaei', a litterarum studiis destituti, priscorum vatum instar res diuinis oraculis antiquis conuenientissimas praedicarent, inauditis miraculis confirmarent, et RESVM suppicio nuper sublatum, CHRISTVM esse publice testarentur. Neque successu caruit hoc DEI consilium, sed incredibilem produxit animorum commutationem, effecitque ut opinione celerius innotesceret haec res, quae ad omne humanum genus pertinebat, et quam non ignorari omnium intererat. Atqne sic IESVS inter solemnia ISRAELITARVM summamque eorumdem frequentiam ignominiosa morte peremptus, in pari frequentia proximisque illorum solemnibus supremo honore condecorabatur.

VERVM VT vnius rei sapienter dispositae plures esse solent fines: sic vna hac destinatione diuina circumscribi non potest SPIRITVS DEI in homines missio die pentecostes nec alio quodam die festo facta; sed latius omnino patet, et ad umbrarum in primis imaginumque in ISRAELITARVM sacris obuiarum, explicationem directa fuisse videtur, Ante enim quam abrogarentur ISRAELITARVM solemnia, significandum erat distinctius atque in clariore luce ponendum, quorsum illa tempora sacra spectauerint: ne tam abolerentur, quam postquam finem obtinuerant, ipsaeque res illis repraesentatae euenerant, per se cessarent, nihil amplius profutura. Atque ut de hoc consilio suo certius inter orationes constaret, illis ipsis festis

festis diebus ea fieri DEVS procurauit, ad quae obscurius significanda olim comparata fuerunt. Vt contra senatus IUDAORVM supremi consultum (l) piacularis mors IESV in ipsa solemnia paschae incidit, vt arcanum DEI consilium panderetur; in sacris his ita ordinandis: ipsumque illius vmbrae corpus sisteretur: ita eamdem ob cauissam SPIRITVS DIVINI missio solemnis eo tempore euenit, quod olim iam huc directum fuerat. Sicut enim quinquagesimus ab exitu ISRAELITARVM ex AEGYPTO dies sacris solemnibus deuouebatur ad memoriam huius liberationis consummatae feliciter consecrandam, legis diuinae eo tempore solemnii ritu promulgatae beneficium recolendum, et gratias pro frugum messe, oblatis earumdem primitiis panibusque sacris, publice agendas; unde et festum messis dicebatur (m): ita certe opportunius legati CHRISTI, SPIRITV DIVINO initiari non potuissent, quam eo ipso tempore festo; vt intelligeretur ab omnibus facrorum israeliticorum gnaris, hoc SPIRITVS SANCTI beneficio consummari et applicari liberationem hominum ex calamitate et seruitute malorum per CHRISTVM partam (n), legem ZIONIS (o) solemnem certissimamque voluntatis diuinae declarationem tunc coepisse, atque DEI legem SPIRITV SANCTO insitau-

(l) MATT. XXVI com. V MAR. XIII com. II. (m) EXOD. XXIII com. XVI. (n) II COR. III com. XVII GAL. III. com. XIII. XIII cap. IIII com. V. VI. VII IO. VIII com. XXXVI. (o) IES. II. com. III. (p)

staurari apud homines, cordibusque ipsorum inscribi (p), parari denique DEO messem amplissimam laetissimarum frugum ex agro sterili ante, sed feraci reddito, hoc benignissimo spiritus imbre diuinitus demisso (q), ipsosque CHRISTI discipulos fuisse primitias huius messis DEO publice consecratas oblatasque solemniter. Et quemadmodum ISRAELITAE circa illud tempus olim in ciuitatem coire, propriisque legibus longe sapientissimis gaudere coeperunt, atque hoc anni tempore beneficium terrae feracissimae, ipsis promissae ac postea donatae, grata mente colere contineuerunt: ita SPIRITVS solemnis missio ad ciues CHRISTI colligendos, nouam ciuitatem circumscribendam, abundantiam felicitatemque ipsi procurandam accommodatius fieri non poterat, quam hoc ISRAELITARVM tempore festo. Neque mysterio caret numerus dierum quinquagesimus, qui numerum ex septies septenis compositum excipit, quem veteres sacrum habuerunt, (r) propter quem numerum *festum hebdomadum* vocabatur (s). Nam ut quinquagesimus quisque annus sacer et iubilaeus erat ISRAELITIS, (t) libertate seruorum manumissorum, re-

cupe-

(p) IER. XXXI com. XXXIII HEBR. VIII com. X.

(q) IES. XXXXIII com. III. IIII EZECH. XXXIII com. XXXVI. XXVII ps. LXVIII. com. X etc.

(r) conf. IO. VAN DER WAYEN librum singularem de numero septenario. (s) DEVT. XVI com. X.

(t) LEVIT. XXXV tot. (u)

PROGRAMMA

cuperatione possessionum omnium, quiete des-
mum et laetitia solemnis transfigendus: sic quin-
quagesimus dies a liberatione et salute homini-
bus acquisita quotannis destinatus fuisse videtur
ad SPIRITVS diuini missionem celebrandam; ve
significaretur libertatem immunitatemque populi
DEI inchoari SPIRITVS SANCTI beneficio et eodem
consummari olim, omnem etiam requiem et laeti-
tiam per eundem obtineri. Si cui libuerit hic
per partes eundo singularum contentionem insti-
tuere, quantumue sacris solemnibus israelitarum
hoc die festo peragendis, cum SPIRITVS DIVINI
in legatos CHRISTI collati beneficio conueniat,
distinctius meditari: habebit certe in quo inge-
nium exerceat, animam pascat, seque ad re-
conditam DEI sapientiam venerandam excite
quam felicissime.

NOBIS IAM ad alteram exponendorum par-
tem properandum est inuestigandumque quibus
rationibus inductus sapientissimus DEVS, qui cum
ratione omnia agit, SPIRITVM suum paucis ali-
quot ab ingressu solemnis CHRISTI in caelum die-
bus elapsis, in eius discipulos conferendum exi-
stimauerit. Quae si eas recte inimus huc rede-
unt, primum ut testis maximum fieret, hoc do-
num CHRISTO deberi, pertinere ad fructus re-
demptionis, grauissimique itineris per inumeras
calamitates, ipsamque mortem in vitam, et cer-
tissimum signum ac documentum esse maiestatis
regiae et infinitae gloriae in quam transierit: de-

in-

inde ut discipuli, conuersatione, quae quadraginta dies ipsis cum CHRISTO vitae restituto intercesserat, de vita ipsius certiores facti et incredibili gaudio affecti, (u) nouis postea curis per eiusdem ex terris abitum turbati (x) ipsaque rerum consequiturarum exspectatione suspensi, ad se redirent, sibimet ipsis redderentur, obsequium fidemque CHRISTO praestarent, atque sic precum communiter per hos octo dies fusarum (y) spei et fiduciae exercitiis ad beneficium hoc, ipsis destinatum, melius recipiendum praepararentur. Admodum ipsis salutare fuit hoc temporis interuallum, tam ad incrementa capienda desideriorum sanctorumque cupiditatum, CHRISTI promissionibus excitatarum, quam ad contineendam huius desiderii vehementiam, morae alias impatientem, intra limites animi sedati, contra rerum praesentium speciem innixi verbis et promissionibus DEI, eiusque se voluntati penitus submittentis. Ardua certe res fuit

mul-

- (u) Pierique, qui typos legum israeliticarum explicarunt, utilissimam hanc operam nauarunt. Conf. in primis FRID. AD LAMPPI mysterium foederis gratiae part. III. cap. XXVII. et WILH. MOMMA oeconomiam lib. III cap. VIII §. VI etc. et lib. II cap. XI §. LXVI etc. LXXXV, nec non WOLFFG. FRANZIVM de interpretatione script. sacr. part. II orac. CXXI et CXXII vbi veteris et nouae pentecostes comparationem instituit. (w) ACT. I co. III cap. XIII. co. XXXXI. (x) ACT. I com. X. XL. (y) ACT. I com. XIII co. II co. I. (z)

multisque difficultatibus impedita, et indicium maioris animi fide a CHRISTO data erecti et confirmati, quam hominibus natura inest, discipulos CHRISTI in urbem infensissimam, mediumque hostium turbam redire, confoederatos societatem colere, precibus tempus transfigere sola permotos exspectatione rei, si a sermonibus CHRISTI discesseris, incertae et dubiae. Quare indulgentissimus DEVS, perspecta hac ipsorum fide et obsequii constantia, diutius eos suspensos teneri noluit, sed octauo die a nouissima ipsis facta promissione eamdem impleri curauit (z). Mone-
mur hac re officii nostri et viae, quam ingredi quemque oporteat, ad beneficium commune SPIRITVS SANCTI certius consequendum, ut animus viua cognitione CHRISTI, exantlatis laboribus expiatoriis in gloriam reducis, perfusus, ad caelestia erexitus, fide amore, obsequio et spe certissima exercitatus, nec morae a DEO profes-
ctae

(z) Quodsi quinquagesimus dies, huic solemnitati consecratus, non a resurrectione CHRISTI, sed secundi paschae IUDAORVM die morteque CHRISTI numeratur, quod ex IUDAORVM sententia, hac in re in diuersa abeuntium, exponit ADR. RELANDVS in antiquit. ehr. part. III ca. IIII §. III. III. non potuit solemnis CHRISTI ingressus in caelum longius quam octo dies, neutquam vero decem a pentecoste distare. Quare non habuit LEN. de TILLEMONT cur in memoris ad bistor. eccles. tom. I. part. I. nota in vitam IESV XXXXII. pag. CCLXI. CHRYSOSTOMO indignaretur, qui in homiliis ad acta haec iam obseruauerat. (aa)

ætae impatiens, cogitatione et desiderio in hoc
dei donum feratur, et magis magisque ad largio-
rem eius mensuram recipiendam pæreparetur.

RESTAT POSTREMA illius temporis confide-
ratio, *mane hora diei tertia* illud miraculum, ex
hominum memoria inauditum, non sine ratione
euenisse. Quam vnam omnium principem LVCAS
commemorat, ut hac re a DEO, futura quaevis
prudente, caueretur, ne ebrietatis aut vini
effusius sumti suspicio a nonnullis excitanda vel
aliquam veri speciem haberet: quare PETRVS ad
amoliendam hanc procacissimæ impudentiae ca-
lumniam hoc potissimum a tempore et hora de-
sumto argumento vtitur (aa). Erat illa hora, qua
CHRISTVM ligno ferali affixum fuisset legimus (bb),
precibus publicis deuota, quae eo solemniores
erant, quod cum sacrificio quotidiani cultus ma-
tutino coniungebantur, cui ISRAELITAE ieuni et
ante cibi potusque vsum interesse solebant. In-
dicabatur hac re, si quid coniicimus, SPIRITVM
DEI esse *spiritum gratiae et precum* (cc), preci-
bus obtineri (dd), eiusque hac missione et grauis-
simis illius effectibus impleri vota a tot saeculis
nuncupata, et suspiria fusa ad imperrandum ac-
celerandumque regni diuini inter homines aduen-
tum, ipsosque iam homines ope huius SPIRITVS

H ho-

(aa) ACT. II. com. XIII XV. (bb) MARC. XV.
com. XXV. (cc) ZACH. XII com. X. (dd) LVC.
XI. com. XIII. (ee)

hostias D E O acceptissimas paratum iri (ee). Grande praeterea opus hoc die peragendum erat, fundamenta nouae ciuitatis iacienda, et aliquot milie homines in illam transducendi, solemnique aqua publice initiandi: quare hanc operam maturandam esse statuit sapientissimus D E U S, ferrumque cedendum quoad ferueret. Oribatur tandem hac laetissima luce in orbem illata, exoptatissima dies nouae manifestationis D E I inter homines longe illustrioris, quam illud obscurius tempus fuerat, quod antecessit (ff).

POSSET HAEC meditatio vterius extendi, si de hebdomadis die, quo illa S P I R I T U S effusio accidit, disputaretur, aut opportunitas ciuitatis C H R I S T I eo potissimum tempore condendae, ex horum temporum historia ciuili repeteretur, et rerum facie, qualem tunc fuisse inter I V D A E O S, R O M A N O S et reliquas gentes huic negotio accommodatissimam, scriptores antiqui perhibent. Sed vela iam contrahenda sunt: praeferunt quum triplex haec illius temporis determinatio, cuius rationes inuestigauimus, in tabulis sacris sola occurrat, et ea, quae disleruimus, ad illarum sensum illustrandum sufficient, reliqua etiam pleraque in hanc rem dicenda magis ad vniuersum C H R I S T I aduentum pertinuant, qui suo tempore omnium longe opportunitatis-

(ee) R O M . XV com. XVI. (ff) R O M . XII. com.
XII. II COR. VI com. II. I THESS. V com. V.
(gg)

nissimo accidit (gg), quam ad effusionem SPIRITVS SANCTI.

VOS, CARISSIMI CIVES, agite quae sumus exemplum, quod vobis praei uimus ita sequimini, ut in vniuersum hunc campum historiae sacrae, de solemni SPIRITVS SANCTI missione, qua patet amplissimum, cogitationibus vestris excurratis, eiusque singulas partes lustretis, reliqua oracula DEI, quibus et huius doni omnibus in vniuersum conferendi fidem fecit, eius necessitatem, exoptatissimas operationes, certissima signa et laetissimos effectus exposuit, studiose comparetis, omniaque in rem vestram conuertatis. IESVM post glorioissimum in coelos triumphum actum, hac gloriae suae declaratione conspicuum religiose veneramini, ipsique, beneficii huius populo suo vobisque exhibiti bene memores, gratias immortales agite, necessitatem huius spiritus ad mentem emendandam apud vos reputate animumque ad spem erigite, fore, ut ardentissimis precibus idem DEI donum consequamini. Qui olim sacra IVDAEORVM publica, licet tunc longe corruptissima ACHRISTI discipulis frustra peragi noluit; sed eo potius quam alio quo quis tempore hoc in suos contulit beneficium,

H 2 remu-

(gg) Qui hoc argumentum tractarunt, allegantur nonnulli a celeberr. IO. CHRIST. WOLFFIO in curis phiol. ad GAL. III. com. III. quibus addendus est NATH. LARDNER in fide historiae euangelicae libr. I. (t)

remuneraturus ipsorum obsequium fidemque: idem munificentissimus D E V S dies memoriae hu-
iis beneficii digne et religiose celebratos, sine
fructu transfire non patietur, innumeris suspiriis,
supplicationibus laudibusque, quibus ciuitas sa-
cra hos dies personabit, facile ad donum hoc
omnibus eius adeo cupidis quam indigis confe-
rendum exorabitur. Hanc oportunitatem ne
vestra culpa negligatis cauete. Mane et quoad
tempus est D E V M quaerite, ne ex hac vita ab-
repti sine hoc SPIRITV, quo destituti nec
CHRISTI ciues estis, nec heredes felicitatis futu-
rae, D E O aeternum careatis. P. P. in acade-
mia FRIDERIC. d. XIII cal. iunias, qui in
fastis sacris VIGILIA PENTECOSTES est anni

C I C I D C C X X X V I .



COM-

COMMENTATIO HISTORICOTHEOLOGICA
DE
**SOLEMNIVM CHRISTO NA-
TO SACRORVM ORI-
GINIBVS**

QVA
SENATVS ACADEMICVS
NATALEM DOMINI
INDIXIT.

ALBICO MELIACUM IN CITATE LIBRO

SOLVIT MELIACUM
CITATE LIBRO

MELIACUM
CITATE LIBRO

Q. F. F. Q. S.

LAVDABILI academiarum more natalem
IESV CHRISTI DOMINI publice indicturi
operae pretium vobisque CIVES AESTIV-
MATISSIMI rem non ingratam facturi no-
bis videmur: si ex antiquitatum monumentis me-
moriae CHRISTI gentem nostram ingressi in ciuitate
sacrae celebraeae origines breui narratione ex-
plicauerimus. Per magni enim nostra interest ad ius-
tum his solemnibus pretium statuendum, illo um
inter CHRISTIANOS exortorum tempus et occasio-
nes non ignorare: ne antiquarum rerum fastidiosi
ad aniles saeculorum obscuriorum superstitiones
detrudamus, quae altius omnino repetenda sunt,
neque ad apostolos autores referamus, quae
subsecutorum temporum pietati, satis, quoad
tunc licuit, oculatae, ratione certe non destitutae
debemus; sed ut maiores nostros, religiosissimos
mortales feroe saltem in CHRISTO de nobis im-
mortaliter merito enixissime concelebrando,
eiusque e re nostra nati memoria consecranda
aemulemur. Atque ut ordine procedamus, pri-
mum in *tempus inquiremus*, quo haec sacra pu-
blica inualuerunt, deinde *rationes illorum institu-
torum subducemus*, visuri quid officii nostri sit in
premendis veterum vestigiis (a).

QVIN-

(a) Ampliorem harum antiquitatum tractationem
animo conceperamus, ut de vtraque diuini huius
beneficij celebratione publica ageretur et

H 4

anni.

QVINQUE saecula, quae a nato CHRISTO proxime effluxerunt, ex eruditorum sententiis horum sacrorum origines sibi vindicant singula. Quare per partes eundo rationes breuiter examinabimus, quibus singulorum caussa agitur. Antiquissimae originis eorumdem ad *saeculum primum* referenda^e patroni omnium certissime caussa cadent. Si *constitutionibus apostolicis* sua, quam mentiuntur, auctoritas constaret, non ficeret cur dubitaremus de ipsis CHRISTI legatis extraordinariis huius consuetudinis auctoribus. Ita enim praecipiunt lib. V cap. XIII τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν Φυλάσσοντες, ἀδελφοί, παὶ τεωτην γετὸν γενεθλίου, ἥτις ὑμῶν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πεμπή τοῦ ἱενάτου μηνός. atque lib. VIII cap. XXXIII. PAVLLVM et PETRVM edicere perhibent, σερι τὴν τῶν γενεθλίων ἑορτὴν αἰγαίεστωσαν. Sed quum du-

anniversaria peculiaris diei his sacris dicati et *perpetua* aerae annorum numerandorum a sanctissimis huius nativitatis auspiciis constitutae, atque in *annua* illius memoria praeter *tempus*, quo celebrari coepit, et *mensis diesque*, quem veteres huic memoriae addixerunt, inuestigaretur, et tandem *solemnia* quibus illam obierunt, enarrarentur. Maluimus tamen, quum argumentum nimis excresceret, vnam illorum partem vberius disputare, quam copia obrui, reliqua vero alii occasione destinare: in primis quum historiae christiana scriptores, recentiores etiam, de *tempore* ortae huius celebrationis constituendo in partes discedant, atque rem satis dubiam relinquant. (b)

dudum decoxit fides horum PSEUDOGLMENTIS scriptorum (b), neque alii testes fide digni produci possunt (c); conclamata est veterima huius festi antiquitas. Quam ipsa etiam sententiatarum apud veteres aequae ac recentiores de mense et die nati CHRISTI diuersitas satis conuelit. Numquam enim in partes discessuri fuissent CHRISTIANI aut a se inuicem dissensuri in die huic memoriae consecranda, si natalis illius celebratio ab apostolorum tempore obtinuisset.

QVI IN saeculo secundo haec solemnia deprehendere sibi videntur RVD. HOSPINIANVS (d) et WILH. CAVE (e) ad THEOPHILI (f) caesariensis COM-

MODO

- (b) Post doctissimas censuras THOM. ITTIGHI in *de pseudepigraphis CHRISTI, MARIAE et APOSTOLORVM cap. XII* in heptad. differt. appendici diff. de haeresiarch. adiecta p. m. CLXXXIX sqq. 10. BAPT. COTELERII in *iudicio de const. apostol. opp. patrum. apostol.* inserto tom. I. p. m. CLXXXIII NATALE ALEXANDRI *bist. eccl. saec. I* diff. XVIII LVD. ELL. DV PIN *bibl. aut. eccl. tom. I* a. p. LXXXII et SEB. le NAIN, *de TILLEMONT memor. ad bist. eccl. tom. II part. I de Clem. art. VII* nemo facile de ipsis CLEMENTI aut aeuo apostolico vindicandis laborabit, neque WILH. WHISTONI argumentis mouebitur, quibus a MATT. HENRY 10. ERN. GRABIO, ROB. TURNERO et IO. CLERICO abunde satisfactum est. (c) Epist. TELESPHORI et CHRYSOSTOMI testimonium infra examinabitur, neque proxime sed per conclusiones tantum fundamento destitutas ad saeculum I perrinent. (d) *de festis CHRISTIANORVM* p. m. CLXVIII sq. (e) in *primitivo christianismo* p. CLVIII ed. germ. (f) HIE-

H 5

RONY-

PROGRAMMA

MODO et SEVERO aequalis epistolam prouocant, ex qua prior haec verba recitat: *sicut domini natalem, quocumque die VIII kal. ian. venerit, ita et VIII. kal. apr. quando resurreccio accidit CHRISTI debemus pascha celebrare.* Verum haec verba THEOPHILI non sunt, sed ex recentiori scriptore incerti temporis, EVSEBIO tamen caesariensi iunioris, cuius historiam allegat, desumpta, qui in narratione concilii palaestini seu caesariensis hanc GALLORVM fuisse consuetudinem non THEOPHILI, cuius deinde sermones in concilio habitos profert, sed suis verbis perhibet (g).

ALII

RONYMVS *de vir. illistr. cap. XXXXIII* THEOPHILI huius et epistolae synodicae ab ipso scriptae mentionem facit. EVSEBIUS etiam *bif. eccles. lib. V. cap. XXII et XXIII* eundem commemorat, et *cap. XXV* epistolae illius fragmentum exhibet. IOACH. HILDEBRAND *de diebus festis p. m. XVIII* hunc THEOPHILVM *caesariensem* cum antiocheno aliquantum antiquiore confundit. (g) Sagacissimus IOS. BINGHAM *orig. eccles. libr. XX cap. IIII §. IIII* negat a se vllibi inueniri potuisse haec verba satis omnino vague ab HOSPINIANO citata, quae in epistola paschali THEOPHILO tributa et a BEDA de aequinoctio vernali atque ex eodem in *collectione conciliorum labbeana tom. I p. DLXXXVI* et BUCHERII *comm. in canon. paschalem VICTORII* sub nomine PHILIPPI exhibita frustra quaesiuit. Exstant enim in STEPH. BALVZII *nona coll. concil.* et ex illa in *veneta conc. collect. NIC. COLLETI tom. I p. DCV. sqq.* ex alia narratione de *concilio caesariensi* a BDAE admodum diuersa et
lon-

ALII IDEM suspicantur ex mentione natalis CHRISTI a CLEMENTE alexandrino facta (h). Cuius tamen verba tantum absunt ut horum Iolemnium saeculo II iam peractorum fidem faciant, ut contrarium potius affirment: Εισὶ δὲ οἱ περιεργότεροι τὴν γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ὃν μόνον τὸ ἔτος,

αλλα

longe ampliore: quam ex codicibus msqr. monasterii St. GALLI in HELVETIA et biblioth. colbertinae desumfit BALVIZVS. Vbi ita se habent haec verba: *sicut DOMINI natalem quocumque die venerit VIII kal. ianuar. ita et VIII. kal. april. quando resurrectio traditur CHRISTI, debemus pascha tenore.* Hanc narrationem HOSPINIANVS ex eodem cod. msqr. S. GALLI desumisse, eamque pro ipsa epistola THEOPHILI habuisse videtur quem errorem diu antea RABANVS errauit de computo cap. LXIII ALTAMVRA seu MICH. le QVIEN in *panoplia aduersus schismata GRAECORVM p. XXV THEOPHILVM alexandrinum a GENNADIO massiliensi in cat. vir. ill. c. XXXIII. memoratum pro illius auctore* habet, secutus ANASTASIVM bibliothecariorum in vita VICTORIS. Ipsa certe acta concilii, cuiuscunque auctoris fuerint, recentiorem originem satis produnt, dum et in epitome apud BEDAM obvia, et ampliora *balaziana* perhibent THEOPHILVM *casarensem* auctoritate a VICTORE episcopo romano data hoc concilium conuocasse, quae ab illorum temporum historia vera mirifice absunt, atque ineptum colloquium THEOPHILI cum episcopis, quale ibi proponitur, a conciliorum consuetudine, eiusque temporis sententiis alienissima continet. Quare TILLEMONT in *memor. ad hist. eccl. tom. III part. I in notis ad vit. VICTORIS not. 11 p. m. CCCCLXXVIII* spuria esse haec acta fatetur et commonistrat.

(h) *Stromat. lib. I p. m. CCCXXX.*

(i)

αλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προσιθέντες: et paulo post
οἱ δὲ ἀπὸ βασιλέων καὶ τοῦ Καπίτου αὐτοῦ
τὴν ἡμέραν ἐορτάζουσι. Quibus verbis et dif-
ferente improbat natalis CHRISTI ad certam
aliquam diem determinationem, sine qua
tamēn eius celebratio fieri nequit, et basiliadi-
nis tribuit EPIPHANIAS festum, cum natali CHRI-
STI apud AEGYPTIOS et plerosque orientales anti-
quitus coniunctum, qui proinde haec sacra pec-
uliaria habuerunt eo tempore, coetu puriore
ea ignorantē.

PERTINACIORES huius sententiae patroni TE-
LESPHORVM episcopum romanum excitant,
qui in epistola decretali (i) praecipit: nocte ve-
ro sancta nativitatis domini saluatoris missas cele-
brent et hymnum angelicum in iis solemniter de-
cantent s̄q; et de quo liber pontificalis damnifici
idem perhibet, quae non solum huic sed ipsi pri-
mo saeculo illa solemnia vindicant, quorum ac-
cessionem tantum TELESPHORVS procurauit.
Sed actum ageremus (k), si de hac auctoritate

amo-

- (i) Exstat haec decretalis in *collectione conciliorum cole-
tiana tom. I p. DLXIII* vbi illa verba n. Illeguntur. (k)
Impudentissima ISIDORI fraus a deo pellexer, ubique,
ut plerique, quorum maxime intereat hanc compi-
lationem tueri, vadimonium dudum deseruerint.
Omnium in hac causa industriam superarunt
DAV. BLONDELLVS in PSEUDOISIDORO et TURRIANO
vapulante et PETR. de MARCA de concil. lib. III c.
V cf. SAM. RASNAGII annales politico ecclesiast. tom.

II

amolienda operose laboraremus. Nam qui ea hodie sibi imponi patitur, illum nae oportet aut perfrictae admodum frontis esse, aut a bonis litteris et ratione alienissimum.

MAIORI specie veri saeculo tertio haec natalitia a multis tribuuntur, qui HIPPOLYTICANONE paschali potissimum nituntur. Nam quum in hoc canone dextro lateri statuae marmorae HIPPOLYTI inscripto, cellulae laterculorum distinctae, certis interuallis obseruatis, verba exhibent, in primo laterculo γενεσις χι. Εξηχιας. Ιωσιας. Εξοδος κατὰ Δαυὶλ et in sequentibus laterculis alia (l): obscuriora haec verba a nonnullis interpretibus (m) praeterita, a plerisque de lectionibus statis CHRISTIANORVM explicantur, qui SCALIGERI (n) opinionem sequuntur coniiciunt ex lectione in natalitiis CHRISTI re-

ce-

II p. III et p. LXXXVII vbi haec TELESPHORI decretalis imposturae conuincitur. (l) cf. hunc canonem in Ios. SCALIGERI de emendatione temporum lib. VII p. m. DCLXXVII et tabulam aeneam in Io. ALB. FABRICI operibus HIPPOLYTI exhibitam p. XXXVI. (m) ab AEG. BVCHERIO de doctrina temp. s. cyclo VICTORII vbi ap. CCLXXXI canonem HIPPOLYTI interpretatur. (n) Qui I. c.p. DCLXXII ad verba γενεσις χι, quae perperam mutat in χου, sic commentatur: haec autem omnia, quae inclusa sunt in cellulis areae laterculi sunt lectiones ex utroque testamento. quarum usus erat eo tempore in ecclesia. Sed quae-dam earum statua sunt ex orbe hebdomadum et ei-
dem

cepta et huic canoni inserta apparere eorum antiquissimam originem, saeculo tertio saltem non abiudicandam. Verum etiamsi vni parti huius coniecturae locum daremus, et statueremus illis verbis lectiones publicas designari: altera certe te tempore harum lectionum simul indicato, ex qua dumtaxat haec sententia de natali CHRISTI tempore HIPPOLYTI iam celebrato deducitur locum omnino non habet. Nam ut ipse SCALIGER fatetur, in nonnullis tantum, imo ut ipsa res loquitur, in duabus solum collocationibus horum verborum ea coniectura verisimilis est, reliquorum verborum termini vagi vocantur a SCALIGERO: quare improbabilis redditur haec sententia. Praeterea opinio quorundam de natali CHRISTI ad mensem pharmuthi seu aprilem referendo, ad quam prouocatur, nullibi locorum celebrationem illius memoriae eo mense

dem diei hebdomadis haerent, aliquando fortasse eidem diei mensis: quedam vagae pro ratione termini. Ut ecce γενέτις Χριστοῦ, quoannis expressio MATTHAEI εὐ ργδιανκτερεύει seu ταξιδιώτις natalis CHRISTI legebatur mense pharmuthi, quo tempore quidam natum dominum putabant, ut scribit CLEMENS alexandrinus, qui et alias non paucas veterum sententias de dienatalis dominici recenset. Quam sententiam amplectitur et exornat IAC. GOTTFREDVS ad cod. theodos. lib. XV tit. V despectaculis p. CCLVI et in notis ad philostorg. p. CXVII neque minus IO. RONA rerum liturg. lib. II cap. VI et WILHELM. TENZELIVS diff. de ritu lectionum sacrarum §. XVIII. XX. XXI. (o)

mense effecit, saltem ROMAE et in occidentali ecclesia numquam obtinuit. Quam ob rem alii (o) haec canonis verba de lectionibus publicis quidem intelligunt, omnibus illis tamen ad pascha referendis, in cuius solemnibus singula haec codicis facri pensa praelegi solita fuisse arbitrantur. Qua coniectura admissa et altera parte opinionis scaligeriana reiecta, nihil plane huius testimonii ad natalem CHRISTI pertinere euidentissime appetet. Alia tamen restat de sensu illorum verborum demonstratio magis quam coniectura, qua de solemnibus paschae vel proprie vel improprie et in figura secundum duplēm chronologiam celebratis ante tempora HIPPOLYTI intelliguntur (p). Vnde conficitur HIPPOLITVM perperam excitari ad hanc antiquitatem illorum solemnium comprobandam, neque audaci reiectione illius canonis opus esse ad illud testimonium infirmandum (q).

QVAE

- (o) Eruditissime haec disputauit STEPH. le MOYNE varior. sacr. part. II p. m. DCCCCXLVII seqq.
- (p) Primus in hanc interpretationem incidit THOM. GALE apud CAVE script. eccl. bīst. litt. saec. III. p. m. LXVI. quam deinde certam et in dubiam effecit FRANC. BLANCHINI in differt. de canone pasch. HIPPOLYTI cap. III. §. IV in editione HIPPOL. fabriciana tom. I p. CL. (q) Ita hunc nodum secare videtur celeberr. IO. GE. PERTSCH in bīst. eccl. saec. III cap. III §. VI. ubi GOTHOFR. DVM securus perhibet in canone paschalī annotationi fuisse lectionem statam vigiliae diei natalis

GRIM-

QVAE PRAETEREA huc trahuntur ORIGENIS homilia in diem epiphaniae (r) et CYPRIANI æ nativitate CHRISTI (s) non facile cuiquam persuadebunt huius festi antiquitatem: quod recentior suppositiorum illorum scriptorum origo nemini hodie dubia videtur, ut examine illorum supersedere possimus.

ACCEDIMVS ad saeculum quartum, in quo certiorem quidem et indubiam horum sacrorum ori-

CHRISTI, quod tamen non de verbis ipsis sed illorum tantum interpretatione olim recepta intelligi deberet. Quae ex chronicis HIPPOLYTIS in hanc rem producuntur, examine, non indigent, quum ad HIPPOLYTVM episcopum et martyrem non pertinent, sed iunioris THEBANI sunt, qui ad saec. XI vel X referendus est, ut euicit le MOYNE var. sacr. part. II p. m. MLXXX seqq. et CAVE scr. eccl. hist. litt. saec. X p. m. CCCCLXXXVII cf. opera HIPPOL. fabric. tom. II p. XLII seqq. et LII. Neque morarum HIPPOLYTIS sermonem in sancta theophania I. c. tom. I p. CCLXI obvium, qui eiusdem furfuris est cum HIPPOLYTIS traditione apostolica. (r) Occurrit illa inter homilias de diuersis, quarum octaua est in operum latinorum tom. II. Censuram eius et reliquarum scripsit PET. DAN. HYETIVS in originianis p. CCLXXV. (s) Deprehenditur in CYPRIANI operum editione baluziana seu benedictinorum inter opuscula vulgo adscripta CYPRIANO p. LXXVIII, seqq. In vita CYPRIANI illi editioni praemissa p. CXXVIII §. XXXV. commémoratur ex codicibus mscr. satis apparere hanc homiliam cum reliquis, quae librum de duodecim cardinalibus CHRISTI operibus constituant, ad ARNOLDVM bonae vallis abbatem in clioceensi carnutensi pertinere. (t)

originem deprehendimus, perperam tamen a nonnullis demonstratam et male euictam. Quam ob rem primum inane huius sententiae fundamentum remouebimus, deinde firmiora argumenta stabiliemus, et tandem efficiemus haec sacra eo tempore particularia fuisse, sensim tantum ubiuis locorum introducta.

PLERIQUE constituendae huic illorum solemniū origini praetendunt auctoritatem NICEPHORI CALLISTI, qui lamentabilem narrationem crudelissimi *Supplicii*, quo NICOMEDIAE viginti millia CHRISTIANORVM flammis templo iniectis iussu DIOCLETIANI vel MAXIMINI, quem illi per errorem substituit, misere periisse perhibet, his verbis exorditur (t) ἐπεὶ δὲ η τῶν χριστοῦ γενθελίων αὐτιστού ἑορτή, καὶ σύμπαν τὸ χριστώνυμον πληθός, ἐν πάσῃς ἡλικίαις τῷ ἐκεῖσε νεῷ ἡθροιστο πανηγυρίζοντες τὰ γενέθλια. Quae, si fide digna essent, omnino probarent non quarto tantum, sed ipso tertio etiam saeculo, exeunte saltem, haec natalitia iam peracta fuisse. Nam si anno CCCIII, quo tempestas diocletiana exorta est, iam inualuisserent, non potuissent non ex praegresso saeculo ortum trahere. Sed ut, quod res est, fatemur, parum aut nihil iuuamur hoc testimo-
nio scriptoris et recentioris quam ut ipsum de rebus saeculi III auctorem tuto sequi possimus, et fabulosissimi atque credulitate prodigiorumque

amo-

(t) *Histor. eccl. lib. VII cap. VI p. m. CCCCXXXVI sq.*

I

(tt)

PROGRAMMA

amore incredibilibus commentis referti, et quod omne in hac caussa monumentum habet, genuinis antiquae historiae monumentis ita contradicentis, ut fidem non merearur. Nouimus enim auctore LACTANTIO (tt) initium calamitatis nico-mediensis incidisse in terminalia, quae d. VIII kal. mart. celebrabantur, libros sacros ex templo nico-medensi desumtos et flammis traditos, aedem vero dirutam et solo aequatam fuisse per milites praetorianos, sed neminem suppicio affectum praeter quemdam a LACTANTIO et EVSEBIO non nominatum, qui edictum imperatoris d. VI. kal. mart. propositum publice diripuerat et conside-rat, atque ob audax illud facinus statim productus non modo extortus, sed etiam legitime coctus, cum admirabili patientia postremo exustus est. Quae omnem NICEPHORO fidem derogant, per martyrologia recentiora et spuria suppliciorum acta a CAES. BARONIO (u) nequidquam stabilitam (x).

NEQUE

(tt) *de morte persecutor.* cap. XII sqq. cum quo con-fentit EVSEBIUS bish. eccl. lib. VIII cap. I sqq.
 (u) ad ann. CCCI n. XXXXI seqq. (x) Multum huic testimonio detulisse, qui ante LACTANTIUM librum de mort. perfec. editum antiquitates sacras inuestigarunt, non adeo miramus: quare MAR. CHEMNITIO in ex. conc. trid. part III de dieb. fest. p. CCLXII HOSPINIANO de fest. CHRIST. et qui hos sine examine sequuntur, venia dari debet huius allegationis. Accuratis-

sim®

NEQUE lubrico hoc fundamento opus est, vbi
firmiora adsunt argumenta, quae iam recensem-
bimus. Primum defumimus ex historicorum
fide dignorum narrationibus, quibus haec so-
lemnia saeculo quarto obtinuisse dicuntur. AMM.
MARCELLINVS (y) de IVLIANO imp. atore haec
refert, quum enarrat quibus consiliis rebella-
tum iuerit contra CONSTANTIVM: utque omnes
nullo

fimo tamen BINGHAMO nollemus orig. eccl. lib. XX
cap. III. §. IIII haec verba excidisse fatis probabilem
esse hanc narrationem, quum ab omni verisimi-
litudine certo longissime absit, vt extra dubium
posuerunt, qui vberius calamitatem diocletianam
recens charrarunt BASNAGE ann. polit. eccl. tom. II
p. DLXXXIII et TILLEMONT mem. hist. eccl. tom.
V. part. I quae tota in hoc argumentum insu-
mitur. (y) rer. gest. lib. XXI p. m. CLXXXV.
Neminem mouebit mentib*ianuar.* et *epiphanio-*
rum hic facta, quominus haec ad natalem CHRI-
STI pertinere arbitretur: in primis quum ZONARAS
annal. tom. III diserte perhibet in narali CHRISTI
haec accidisse. Satis enim constat memoriam na-
ti seruatoris sexto die ianuarii, qui et ephiphany
et theophany dicebatur, celebrata olim fuisse cf. IO. CASP. SVIGERI *rheſ.*
eccl. voce, επιφανεια. Et licet in occidente
et GALLIA, vbi tum agebat IVLIANVS, illam con-
fuetudinem obtinuisse nonnulli negant CHRYSO-
STOMI verbis postea explicandis induxi: faten-
dum tamen erit epiphany aliis DEI beneficiis
ante consecrata non fuisse, quam seorsim cele-
brari coepit natalis CHRISTI, vt hoc testimonio
omnino euincatur iam inualuisse eo tempore fa-
cra publica CHRISTO nato dicata.

PROGRAMMA

nullo impediente ad sui favorem illiceret, adhaerere cultui christiano fingebat, a quo iam pridem occulte descivierat, aruspicinae auguriisque intentus et caeteris, quae deorum semper fecere cultores, et ut haec interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense ianuario CHRISTIANI epiphania dicitant, progressus in eorum ecclesiam, solemniter nomine orato discessit: quae in ann. CCCLXI incidentur. SOZOMENVS in enarranda BASILII fortitudine aduersus VALENTEM demonstrata, imperatorem aedem sacram ingressum dicit ἐπιτελουμένης τῆς τῶν θεοφανίων ἡρτῆς (z), et in explicanda tempestate, quae contra IO. CHRYSOSTOMVM ineunte saec. V desaeuiit, ἐπιγενωμένης τῆς γενεθλίων ἡμέρας τοῦ χριστοῦ imperatorem cum eo communicare noluisse scriptum reliquit (a). Eamdem rem SOCRATES in litteras retulit his verbis usus, τῆς δὲ ἑορτῆς τῶν γενεθλίων τοῦ Σωτῆρος ἐπελθευσης (b), vnde intelligimus a saeculo III haec sacra constantinopoli inuoluisse (c).

ALTERVM argumentum petitur ex doctorum celebrium illius saeculi sermonibus sacris bene multis ad haec solempnia peragenda habitis, qui ad

- (a) *bijl. eccl. lib. VI cap. XVI.* (a) *ibid. lib. VIII cap. XX.* (b) *bijl. eccl. lib. VI cap. XVIII.* (c) Alias eiusmodi narrationes ex GREGORII nazianzeni or. XXXI et VIII atque GREGORII nysseni de BASILIO magno et in luminum festum congeffit TILLEMONT mem. tom. I part. I p. m. CLXXXII quae computum requirunt. (d)

ad nos peruererunt BASILII (d) GREGORII NAZIANZENI (e) AMBROSII (f) et IO. CHRYSOSTOMI (g), atque demonstrant ab hoc saeculo non praeteriisse diuinum seruatoris nati beneficium sine publica stati temporis celebratione (h).

CERTVM tamen huius saeculi tempus, quo primum introducta fuerint haec sacra, definiri nequit. Si IOANNIS NICAENI (h) recentioris scriptoris fide stare liceret (i) ad IVLIVM I episcopum romanum ab anno CCCXXXVII referenda foret illorum origo, quae opinio cum illis omnibus, quae adhuc disputauimus, apprime conspiraret.

ID

(d) homil. XXV quae in *operum* BASILII editione a GARNIERIO procurata exstat *tom. II* in appendice inter scripta dubia. (e) orat. XXXVIII in editione morelliana p. DCXIII *tom. I.* (f) Serm. VII-X ed. colon. *tom. V.* (g) hom. XXXIII *tom. V* edit. francof. et hom. XXXI *tom. I.* (h) CHRIST. DAVMIVS peculiari libro edidit *patrum et veterum doctorum homilias et meditationes in fest. nativit. Christi*, in quo occurunt BASILII, GREGORII naz. ZENONIS veron. AMBROSI, AVGVSTINI, PETRI crysol. EVSEBII gall. LEONIS m. MAXIMI taurin. FVLGENTII, GREGORII m. ISIDORI bispal. BEDAE, ALCVINI, ODI LONIS, PETRI damiani, RADVLPHI ardantis, BRVNONIS astensis, GOFFRIDI card. HILDEBERTI cenoman. HONORII augustodun. ABSALONIS abb. BERNARDI claraeuall. et PETRI blesens. sermones. Quae farrago bona multa et eximia deterioribus mixta exhibet. (i) in COMBEFISII *auctario ad bibl. patr.* *tom. II* p. CCLXXXXVII et CCCVIII.

(k)

ID SALTEM dubio caret particularem initio fuisse illam consuetudinem nonnullis ecclesiis propriam, ex quibus sensim quidem at satis celeriter vniuersam tandem CHRISTI ciuitatem occupauit, quod quarto hoc saeculo nondum euenit. AVG^{STINVS} ineunte saeculo quinto fidem facit quatuor dumtaxat solemnium suo tempore per omnem ecclesiam celebrari solitorum, quum ad IANVARIVM scribit (k) : illa autem quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis apostolis vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia soluberrima auctoritas commendata atque statuta retineri, sicuti quod dominii passio et resurreccio et ascensio in caelum et aduentus de caelo spiritus sancti anniuersaria solemnitate celebrantur.

EX CELEBRIORI IO CHRYSOSTOMI loco (l) multa cognoscuntur, quae hic faciunt. Cuius haec verba sunt: οὐαὶ τοι γε οὐπώ δέ κατόν ἐστιν ἔτος ἐξ οὗ δῆλη καὶ γνώριμος ἡμῖν ἡ ἡμέρα γέγονεν αὕτη ἀλλ' ὅμως ὡς ἀνωθεν καὶ πέρι πολλῶν ἡμῖν παραδοθεῖσα ἐτῶν ὅντως ἥνθησε διὰ τῆς ὑμετέρας σπουδῆς, ὅθεν οὖκ ἀν τις ἀμάρτοι καὶ νέαν αὐτὴν ὅμοιν καὶ ἀρχαῖαν εἰπὼν, διὰ τὸ πρὸς φάτως ἡμῖν γνωσιθῆναι, παλαιὰν δὲ καὶ ἀρχαῖαν, διὰ τὸ ταῖς πρεσ-

(k) Epist. CXVIII cap. I edit. basileenf. tom. II pag. DLVI. Alibi tamen horum sacrorum mentionem facit, alicubi saltem celebratorum epist. CXVIII. cap. I et epist. CCXXXVI. (l) homiliae XXXIII tom. V pag. CCCCXVII.

(m)

πρεσβυτέραις τοιχέως ὁμήλια γενέθαι: et nonnullis interiectis οὐτω καὶ αὕτη παρὰ μὲν τοῖς τὴν ἐσπέραν ὄκουσιν ἀναθεν γνωριζομένην, πρὸς ἡμᾶς δὲ κομιθεῖσα νῦν καὶ οὐ ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν ἀθέρον οὔτας ἀνέδραμε.

VNDE APPARET primum circa annum CCCLXXVII haec solemnia ex occidente ANTIOCHIAM (m) peruenisse, ibique studiosissime habita atque ad proximas regiones propagata fuisse. Deinde ex illis verbis et quae proxime consequuntur, elucet, satis iam diu ante hanc rem, illa sacra publica per vniuersam ecclesiam occidentalem obtinuisse ROMAE in primis et a THRACIA ad HISPANIAE fines usque. Id vero hinc non efficitur, quorsum nonnulli propendunt, perpetuam fuisse ROMAE saltem et a prima antiquitate ortam illorum celebrationem, licet orator nimium tribuat auctoritati *romanae ecclesiae* in definienda die, qua CHRISTVS in lucem editus fuerit.

SI

(m) Non CONSTANTINOPOLIN, quod SCALIGER de *emend. tempor. p. DX.* arbitratitur: habitus enim est ille sermo a IOANNE presbytero adhuc ANTIOCHIAE circa annum CCC LXXXVII. Neque in illo, quod aliis visum est, quod CHRYSOSTOMVS de consuetudine tantum celebrandi haec sacra d. VIII kal. ian. loquitur, sed de celebratione illius festi in vniuersum omni, ignota ante hoc tempus ANTIOCHIAE.

I 4

(n)

SI QVI veterum et recentiorum scriptorum ad saeculum quintum has origenes memoriae nativitatis CHRISTI publice consecratae, referre videntur, vel de peculiari origine illius consuetudinis in ecclesia aliqua, quae illa caruerat antea loquuntur, vel de tempore quo in vniuersitate CHRISTI ciuitate inualuerit legibus stabilita. BASILIVS Seleuciensis quum IYVENALEM hiersolymitanum primum haec sacra peregrisse testatum facit (n), qui ab anno CCCCCXX ecclesiae hiersolymitanae praefuit, sine dubio vel auspicio horum solemnum HIEROSOLYMIS commemorat, vel, quod probabilius aliis viderur (o), natalitia CHRISTI ab epiphaniis distincta IYVENALI tribuit.

IDEAM iudicandum est de NICEPHORO (p), qui ad IYSTINVM imperatorem hoc festum refert, nam solemnia purificationis MARIAE a IYSTINIANO instituta commemorat his verbis: τάττει δε καὶ τὴν τοῦ Σωτῆρος ὑπαπαντὴν ἄρτι περώτως ἀκανταχοῦ τῆς γῆς ἐσορτάζεθαι, ὥσπερ Ιουστῖνος τὴν τοῦ χειροῦ ἀγλαν γένεσιν. Quare relatione IYSTINVM (q) saeculo VI horum sacrorum nativitatis auctorem facit

- (n) orat. in STEPHAN. quae exstat in opusculis CHRYSOSTOMI a COMBEFISIO editis p. CCCII. (o) cf. COTELERIVS ad const. apost. lib. V cap. XIII not. XXXII. (p) bish. eccl. lib. XVII cap. XXVIII. (q) Non secundum IYSTINIANI successorem, quod TILLEMONT mem. eccl. bish. tom. Ip. I. pag. CLXXXIX per errorem existimat, sed primum, eiusdem antecessorem, qui ab anno DXVIII imperium moderatus est. (r)

facit, vel insigni errore abreptus, vel de confirmatione noua solemnium per omne imperium romanum agendorum locutus. Iam enim in codice theodosiano solemnium horum mentio sit, his verbis (r): *Dominico et natali atque epiphaniorum CHRISTI, paschae etiam et quinquagesimae diebus, quamdiu caelestis lumen 1ANVARII imitaria nouam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur: quo tempore et commemoratione apostolicae passionis, totius christianitatis magistrae, a cunctis iure celebratur, omni theatrorum et circensium voluptate per vniuersas vrbes earumdem populis denegata, totae CHRISTIANORVM ac fidelium, mentes DEI cultibus occupentur.* Quae in codice iustinianeo confirmantur (rr). Idem codicis theodosiani interpretatione stabilitur (rrr): *nec non et dies natalis DOMINI nostri vel EPIPHANIAE, sine forensi strepitu volumus celebrari.*

BREVITER nunc lustranda sunt occasiones rationesque horum solemnium et adeo fero, et fae-

(r) lib. XV tit. V *de spectaculis* leg. V. (rr) lib. III tit. XII *de feriis* leg. VII. (rrr) lib. II tit. VIII *de feriis in interpretatione* leg. II ad quae verba GOTHOPREDVS obseruat, videri natalem domini nondum eadem celebratione peractum esse tempore THEODOSII I quam reliqua solemnia paschae et pentecostes, et a THEODOSIO iuniore demum iuridicis diebus exemptum fuisse, hic vero in interpretatione recentioris consuetudinis mentionem fieri.

saeculo quarto statim post pacem imperiumque CHRISTIANIS stabilitum exortorum. Veterimi CHRISTIANI in constituendo CVLTV DEI publico et paucitati solemnium studuerunt, quod profestos dies aequae ac festos CHRISTO facros transfigebant, atque in facrorum publicorum diffusitate, qua laborabant, summoque subinde periculo, ab ipsis multiplicandis arcebantur, et maximam semper, quid quod *unicam exitus CHRISTI ex orbe terrarum piacularis gloriose rationem* habuerunt. Vnde euenit, ut per tria saecula prima solus hebdomadum dies primus memoriae CHRISTI in vitam redeuntis consecratus, et annua solemnia eiusdem ex morte expiatoria in gloriam transitus ab *vniuerso CHRISTI populo* celebrarentur quinquaginta dies integros, quibus paschae festum et hebdomas; sacra praegressa cum pentecoste cohaeret (s), quorsum martyrum in singulis locis commemorationes publicae sensim accesserunt.

PRAETEREA ipse DEVS in ciuitate sanctiore sapientissime condenda hac obliuione natalis CHRISTI eiusque neglecta commemoratione publica prouidisse videtur, ne quis suspicioni regni externi CHRISTO parandi, cum periculo et detimento reipublicae et ciuilis imperiorum constitutionis, locus daretur. Et enim, quum prin-

(s) TERTULLIANVS *de baptism.* cap. XVIII.

(t)

principes, penes quos summa rerum erat illo tempore, hac praerogatiua gauderent, ut natales ipsorum, quibus in lucem editi et ad imperium euecti fuerunt, publice a ciuibus celebrarentur annique ab illis numerarentur: primi CHRISTIANI, quibus natalis CHRISTI notior esse potuit, et certior procul dubio fuit, quam a nobis iam omni adhibita cura exputari potest, non sine sapienti consilio et diuina prouidentia sibi temperarunt ab eiusmodi solemnibus; ne seditionem regnumque peculiare meditari putarentur, hostibusque suspicacissimis atrocissimae calumpiae rebellionis, quam molirentur, vel leuissimam veri speciem conciliarent.

POSTQVAM vero felici rerum conuersione saeculo quarto facta libertate et tranquillitate publica frui cooperunt: suarum omnino partium esse iure meritoque existimarunt, vt insigne hoc DEI beneficium ab obliuione, neglectu et erroribus quibus lacescebatur vindicatum irent, peculiare tempus illi publice explicando, celebrandoque consecrarent, atque posteris occasionem prospicerent piae huius mysterii meditationis et salutaris in rem suam applicationis, gratius DEO actis laetitiisque publicis obeundae.

ACCESSIONT quorundam, qui vel sacris vel imperio praeerant consilia, pia magis quam felicia,

licia, tam sacris publicis et religionibus multiplicatis varieque auctis deorum subdititiorum solemnia facilius debellandi, traducendique populum ad CHRISTI cultum sine iactura feriarum quibus delectabatur, quam ita componendi res christianas ut, quoad fieri posset, proxime ad cultum publicum IUDAeorVM DEO auctore institutum accederent: quae aemulatio temporis saltem progressu tria festa solemniora populi nostri peperit, imitatura ISRAELITARVM tria solemnia.

FORTE etiam innumeri natales martyrum, quo nomine dies ipsorum emortuales insigniebantur, et natalitia vrbium et imperatorum quibus postea ipsorum episcoporum alicubi natales additi fuerunt effecerunt, ut per nominis similitudinem satis mature in cogitationem incidenter, CHRISTI potissimum natalem publicis sacris celebrandi.

QVIDQVID vero consiliorum rationumque fuerit, quae religiosissimis hominibus haec solemnia persuaserunt: praecclare sane meriti sunt de re christiana, quod gratae in CHRISTVM pietatis exemplum nobis praeiuerunt. Quae res tantum abest, ut male et in detrimentum ciuitatis sacrae cesserit, ut singularibus potius DEI beneficiis adnumerari debeat, quibus insecurorum temporum superstitioni obuiam itum est, cautumque ne

ne omnis CHRISTI commemoratio publica inter CHRISTIANOS penitus interiret aut, hominum confeccrorum religionibus concederet.

PROBE ILLUD perspexerunt pii maiores nostri, qui ante saecula duo, et quod excurrit, felicissima secessione a pontifice romano facta antiqua sacra postliminio reducta instaurarunt, aut potius puriorum doctrinam professi ex ciuitate romana expulsi suasque sibi res habere iussi sunt. Quam ob rem licet superstitionem hominum sanctorum venerationem abrogarint, atque populum ab onerosa festorum multitudine liberarint: nihil tamen de memoria publica CHRISTI et beneficiorum, quae ipsi debemus, posteritati commendanda detraxerunt; neque sine iniuria in rem sacram et veterum pietatem fieri posse existimarent, vt omnia quae antiquitatem redolent et humanae originis sunt, a cultu publico, qui ritibus externis et ordine, temporibusque festis carere nequit, rescinderentur (t). Inter quas non superstitionis sed antiquarum religionum reliquias apud nos conseruatas et purioribus suis originibus restitutas haec nativitatis

(t) cf. aug. confess. art. XV apolog. sect. VIII epitom. articulor. sect. X et declarat. eorumdem sect. X. vna cum IO. BEN. CARPOVII isag. in libr. symbol. p. CCCXX. et CCCCXXXVII.

(u)

tatis CHRISTI solemnia ad nos transiisse merito laetamur.

NEQUE NOSTRA dumtaxat ecclesia haec solemnia CHTISTO nato deberi putauit, sed reformatores etiam ANGLI atque HELVETI, et quae ad horum formam rem sacram ordinarunt ecclesiae reliquae, haec sacra natalitia conseruanda duxerunt (u).

SOLI Igitur, si a fanaticis festis omnem cultum DEI externum perturbantibus discesseris,
SCOTI

(u) cf. IO. IAC. HOTTINGERI *bif. reformat. helvet.*
p. m. CCLXXXIII. (x) cf. *collectio
actorum in synodis SCOTIAE ab ann.
CIO IO C XXXVIII ad ann. CIO IO C XXXXIIII
L. Acts of the generall Assemblies of de Church
of Schotland vbi p. XXXVI. seqq. in *actis synodi
glasgouiensis* an. CIO IO C XXXVIIII habitae antequora decreta synodorum *edinburgensium* annorum MDLVI. LXXXV. LXXVII, LXXXVI. contra solemnia haec renouantur et stabiliuntur: neque minus DAN. NEAL. *bif.
puritanorum tom. III,* in cuius appendice *constitutio
nes de cultu DEI* in synodo westmonasteriensis decretae exhibentur, quarum ultima omnia tempora festa praeter diem dominicam abrogari iubentur p. DLXXXI. pag. vero CLXVIII. seqq. turbae enarrantur, quae in ANGLIA excepérunt commutationem horum sacrorum cum ieiunio solemnii semel tantum a presbyterianis scotos imitatis an. CIO IO CXXXXIII factam.*

(y)


SCOTI nostris temporibus ab his sacris abhorrent (x), qui tamen numquam rationes suas aequis rerum arbitris approbabunt.

DE *Valdensium* sententia circa haec sacra vix certi quidquam constat: illa enim festorum omnium abrogatio, cuius accusari solent ab aduersariis, aequo dubia est quam plerique errores ipsis afficti et imputati. Ipsa certe confessio-
num antiquorum ab ipsis editarum verba ita
concepta sunt ut de superstitionis sanctorum sa-
cris in CHRISTVM iniuriis loqui videantur (y)
Neque si vel certissime euinceretur, respuisse
illos haec sacra, de praeiudicio contra legitima-
m eorumdem celebrationem verendum esset
admodum: quum facilis in extrema delapsus sit,
atque cordatisimis hominibus humani quid acci-
dere potuerit, ut zelo abrepti in ritus humanos,
qui ipsis violenter obtrudebantur, bona cum
malis refecanda esse ex cultu diuino censuerint.

AGITE igitur, CIVES CARISSIMI, salutaria haec
solemnia in rem vestram conuertite. CHRISTIA-
NORVM antiquorum in CHRISTVM pietatem caste
sancteque aemulamini, neque putate officio fa-
tisieri otiosa a laboribus vacatione male a ple-
risque collocata, sed serio rem grauissimam
agite.

(y) cf. PHIL. LIMBORCHI *bist. inquisit. lib. I cap. VIII*
et IO. LEGERI *bistor. valdens. lib. I cap. XVIII*
p. CXX. seqq. et lib. II cap. III. p. XXIIII.

agite. Ita recolite memoriam CHRISTI vobis nati
et fundamentorum salutis vestrae ea natuitate
positorum, ut fructibus ab ipso partis omniue
felicitate aeterna fruamini. Viam vobis pan-
dent vberius sermones publici, quibus hos dies
sacri conuentus personabunt, ad quos salutis
cupidi, obsequiosi, grati laetique confluite,
operamque date, ut CHRISTI beneficio in fami-
liam DEI transeatis. P. P. in acad. frideric.
d. VIII kal. ianuar. qui in fastis sacris vigilia na-
talis CHRISTI est ann. CIC 10 CCXXXVIII.



COM-

COMMENTATIO
AD
DIFFICILIORA VERBA
ROM. I COM. IIII
QVA
ACADEMIA
PASCHAE SOLEMNIA
INDIXIT.

PROGRAMMA ACADEMICVM VI. 147

PASCHAE solemnia ritu maiorum indicturi
VOBIS, CIVES AESTVMATISSIMI, e re ve-
stra fore existimauimus, vt sanctae medi-
tationis exemplum praeceundo materiam
VOBIS sufficeremus glorioſi reditus CHRISTI in
vitam pie recolendi hos dies et glorioſe conce-
lebrandi. Rectius id fieri posse non putauimus,
quam si de oraculis diuinis insigne hoc DEI be-
neſicium commemorantibus vnum aliquod ex-
plicatum vindicatum atque in rem nostram ap-
plicatum iremus. Selegimus igitur, praequan-
tissima, ſi quae alia, PAVLLI verba ROM. cap. I.
com. III obuia τοῦ ὁριθέντος νιοῦ Θεοῦ, ἐν δυ-
νάμει κατὰ τὸν παῖδα αγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως
νεκρῶν. In quibus succinete pertractandis ope-
ram dabimus, vt post vindicias lectionis noſtræ
atque connexionem breuibus expositam, ſingu-
lares voces et locutiones legitime interpretemur,
atque ſenſum genuinum a detorſionibus homi-
num maleferiotorum, eorum inprimis, qui in ſo-
CINI caſtris contra gloriam CHRISTI militant,
tueamur, et tandem nonnullas doctrinas inde-
deriuemus ad applicationem grauiſſimi huius ar-
gumenti comparatas.

INTEGRITAS *lectionis communis horum verbo-
rum*, qualem ſupra proponuimus, dupliči poti-
ſimum ratione ſollicitatur. Prior diuersitas in voce
ἐριθέντος occurrit, quam nonnulli compoſitum
legunt Ἀρροριθέντος auctoritate vnius codicis bar-

K 2

beriani,

beriani, aliquot patrum latinorum et versionis vulgatae: ad quam postremam reliqua suffragia redire videntur, ut ex interpretis latini vetustioris explicatione magis quam versione ab HIEORONYMO deinde retenta, in patrum latinorum scripta, MARCELLVM ancyr. et EPIPHANIVM occidentalibus quam orientalibus addicitiones, atque unum alterumue codicem graecum transierit. Quae tamen contra codicum graecorum probatissimorum, patrum, qui graece scripferunt, et versionum orientalium *syriacae* maxime consensionem parum valent (a). Alteram diuersitatem in posteriora verbaintrudere ausus est LUCAS MELLERIVS ARTEMONIVS seu SAM. CRELLIVS, qui in *initio euangelii S. IOANNIS ex antiquit. eccles. restituto part. I cap. XLI p. CCXIII* sine vlla codicum vel scriptorum versionumue antiquiorum auctoritate inexcusabili aequo ac infelici temeritate locum hunc sic dispungit et mutat, ut verbis τοῦ γενομένου usque ad πνεύμα ἀγιωσύνης in parenthesi positis, reliqua quae sequuntur verba cum initio commatis tertii copulet atque legat περὶ τοῦ νιοῦ αὐτοῦ (a) ἐξανασάσεως ἐκ νεκρῶν, Ιησοῦ Χριστοῦ: qua textus de-

- (a) Conf. IO. MILLII N. T. graec. tam in *obseruatt.* ad ROM. I *com. III*, quam in *prolegomenis* §. DCCXXXII clar. IO. ALB. BENGELII N. T. gr. in *appar. critico* p. DCXXXII. et celeberr. IO. CHRISTOPH. WOLFI cur. phil. et crit. in *III pror.* PAVLLI epist. p. VIII. (b)

depravatione solo ingenio parum tamen hic ingenio fulta, ab indole linguae graecae abhorrente et sensum longe impeditiorem reddente nemo facile sibi imponi aut assensum imperari patietur, ut confutacione vltiore iam opus non sit (b).

QVOD AD NEXVM attinet, quo haec verba cum praegressis et consequentibus cohaerent, PAVLLVS inscripturus hanc epistolam *com.* I - VII in eo adhuc est, ut semet ipsum describat, quo auctore de grauissimis rebus certiores fieri debebant lectores. Atque id ita agit, ut omnia CHRISTO delaturus in laudes excurrat et commendationem tam euangelii *com.* II - IIII, quam officii ab ipso sibi demandati *com.* V et VI. Euangeliū commendat ab origine *com.* il et argumento *com.* III et IIII CHRISTO, quem non nominat tantum sed pro tenerrima animi commotione concelebrandum proponit secundum humanam naturam et humilitatem *com.* III, IIII vero secundum infinitam deitatis gloriam, eo redire arbitratus quidquid sub ambitu euangelii comprehenditur. Parenthesibus abundat hic apostoli sermo: quibus ut alibi indulgere solet

K 3

PAVL-

- (b) Quae deprehenditur in clar. M. IO. PHIL. BARATERII *antiartemonio part.* II cap. VIII, p. CLXXVI &c. et ven. WOLFFII *appendice ad librum ante excitatum pag.* DCCLXXXII - et DCCCI. Reliquae lectiones a communī diuerſae leuioris momenti sunt nec sensum mutant,

(c)

PAVLVS, ita hic in primis delectari videtur multa paucis et simul dicturus, atque foecundam animisque commouendis accommodatam indolem doctrinarum propositarum significaturus. Quare ultima huius commatis verba Ιησοῦ Χριστοῦ κυρίου μνᾶν licet per constructionem cum immediate praegressis copulari possint, rectius cum primis verbis tertii commatis coniungimus, reliquis omnibus, quae interiacent, pro parenthesi insertis habitis (c). Sic igitur fluere verba haec existimamus: PAVLVS separatus ad euangelium DEI agens de filio ipsius IESV CHRISTO domino nostro, qui natus est ex semine DAVIDIS secundum carnem, DECLARATVS VERO DEI FILIVS IN VIRTUTE SECUNDVM SPIRITVM SANCTITATIS EX RESURRECTIONE A MORTVIS. Quae postrema dumtaxat verba curatius iam interpretabimur, primum visuri, quid sit ὁ πατὴρ νιὸν θεὸν, deinde cur apponatur ἐν δύναμει, praeterea quid verbis κατὰ πνεῦμα ἀγιωσθεῖς intelligatur, et tandem quid ἐξ αὐτοτεστως νεκρῶν significetur, ut tum demum totius sermonis sensus integer eluceat.

IN PRIMA LOCUTIONE τοῦ ὁρισθέντος νιὸν θεὸν explicanda, ante omnia *subiectum propositionis* constituatur necesse est, seu is, qui ὁρισθεὶς νιὸς θεὸν dicatur. Atque is sine dubio ipse DEI filius

(c) Conf. clariss. CHRISTOPH. WOLLI^{II} comm.
philol. de parentesi sacra pag. LXIII. etc.

(d)

Ius est, IESVS CHRISTVS dominus noster, quod connexio verborum nostrorum cum commate III ineunte et fine quarti commatis supra exposita satis demonstrat. Quare torus Θεονθεωπος neutra naturarum, quibus constat, exclusa huc referri debet. Licet enim publica et solemnis declaratio arctissimae relationis huius domini nostri ad DEVM proxime ad humanam naturam pertineat; neque fuisset necessaria futura, nisi humana natura a filio DEI assumta eiusque humilitas contrarii suspicioneum fecisset: nihilotamen secius totius CHRISTI DEI aequa ac hominis dignitas diuina manifestata dicitur his verbis. Longe igitur quam par est angustiorem reddunt sensum propositionis, qui omnia ad solam humanam CHRISTI naturam coarctant: quod non solum interpretes sociniani ad unum omnes per systematis sui hypothesis principem faciunt, neque minus pontificii plerique, quotquot nimirum interpretem latinum secuti praedestinationem CHRISTI hic deprehendere sibi videntur; verum etiam alii interpretes pauciores tamen ab his praecognitis opinionibus liberi (d).

Tios Θεου hic non latiori significatu ponitur, quo relationem quamlibet, tum originis seu de-

K 4 pen-

(d) Videatur 10. TILLOTSON in sermone *de IESV per resurrectionem demonstrato filio DEI*, qui tomus primi sermonum a RAD. BARKERO editorum LXVI est, ubi ad sententiam ARMINIANORVM hoc oraculum accommodatur. (e)

penhentiae, tum similitudinis seu conuenientiae cuiusvis licet remotioris denotat, atque vel rebus creatis omnibus, hominibus maxime magistribus et angelis IOBI XXXVIII *comm.* VII. *cap.* I *comm.* VI. PSAL. LXXXVI *comm.* VI. MAL. II *comm.* X tribuitur, vel ciuibus DEI arctius cum ipso iunctis ob regenerationem, adoptionem et imaginis diuinae instaurationem IOAN. I *comm.* XII. XIII. ROM. VIII *comm.* XIII. etc: sed strictiori significatione θεονθεώπω propria et peculiari, quae is solus ἴδιος ROM. VIII *comm.* XXXII et μονογενῆς IOAN. III *comm.* XVI *cap.* I *comm.* XVI. DEI filius dicitur. Atque illa omnium, quae concipi possunt, arctissima ad DEVVM relatio, quae hac FILII DEI denominatione significatur, ad utramque naturam ipsius pertinet, tam primario ad diuinam, qua per aeternam et necessariam generationem eamdem cum patre essentiam secum ab ipso communicatam possidet PSAL. II *comm.* VI. XII EBR. I *comm.* III. V. *cap.* V *comm.* V PROV. XXX *comm.* III. MICH. V *comm.* II, quam secundario ad humanam naturam, idque non ob originem et dependentiam a DEO vel ipsi cum aliis hominibus communem vel singularem et propriam, miraculose conceptionis, aut officii et imperii a DEO ipsi delati; neque ob adoptionem actumque moralem collatae in ipsum dignitatis huius, ut quae vel longe infra veritatem subsident, vel locum habere non possunt nisi humana CHRISTI natura fingatur per se subsistere

sistere tanquam suppositum intelligens seu persona: sed ob vniōnem personalem eiusdem cum diuina natura, qua in societatem omnium illius perfectionum et praerogatiuarum, quoad in eam transire potuerunt, atque adeo et huius ad DEVUM PATREM relationis assumta est, factusque CHRISTVS, qua homo est, naturalis DEI filius licet non naturaliter neque multo minus essentialiter LVC. I comm. XXXV. Etiam si igitur largiremur CHRISTVM, quoad viueret in terris, subinde fuisse vocatum filium DEI eo sensu, ut officium legati extraordinarii significauerit, atque idem valuerit cum nomine regis ISRAELIS et MESSIAE; facile tamen euinci potest, quidquid fuerit huius significatus inadaequati, illud omne ex nomine hoc MESSIAE in prophetis obuio eoque tempore minus intelligi coepio ortum traxisse, eamque ob causam nobiliorem significatum non euertere aut infirmare, sed stabilire potius et confirmare.

DISPICIENDVM iam est de voce οὐαθεῖσ, in qua explicanda interpretes in tres potissimum partes abeunt. Nonnulli interpretantur *destinatum*, *decretum* et *praedestinatum* fuisse CHRISTVM ab aeterno filium DEI suo tempore futurum, eique sententiae vel variantem lectionem ante memoratam prætendunt, vel enallagen verbi simplicis pro composito, vel ipsius simplicis vocis significatum eundem cum composito, quem demonstrare satagunt ex locis ACT. II comm. XXIII cap. XVII comm. XXXI. cap. X comm.

K 5

XXXXII

XXXXII lvc. XXII comm. XXII EBR. IIII comm.
 VII: quae tamen ipsa vel omnia vel pleraque
 certe aliter intelligi possunt, neque si vel indu-
 bii significatus forent rem efficent. Atque
 illorum opinio huc redit, decreuisse DEVUM ab
 aeterno non solum redemtionem generis huma-
 ni per missionem filii in orbem terrarum,
 eiusdemque incarnationem, verum etiam desti-
 nasse huic coniunctioni cum diuinitate aliquam
 individuam naturam humanam seu filium DAVIDIS
 certis generationibus ab eo disiunctum atque per
 omnia illi fini accommodatissimum. Quod ta-
 men et ab huius loci scopo atque connexione
 alienissimum est, quum euangelium de hac praedestina-
 tione nihil omnino perhibeat eaque ad
 argumentum eiusdem referri nequeat, et sensum
 multis difficultatibus implicat, vnde illae
 scholasticorum dissensiones enatae sunt de praedestina-
 tione hominis seu filii MARIAE ad unio-
 nem cum diuina natura, quam nonnulli ad ab-
 stractum alii ad concretum humanae in CHRISTO
 naturae retulerunt. (e)

ALII

- (e) Post HVG. GROTIUM in' annot. ad b. loc. qui ta-
 men cum praedestinatione, illam diuinæ glo-
 riae post resurrectionem manifestandæ præfigura-
 tionem per vitam et miracula CHRISTI dum in
 terris ageret factam coniungit. Hanc sententiam
 exornauit maxime DIONYS. PETAVIVS in theolog.
 dogmatibus tom. VI pag. LXXVI. f. de incarna-
 zione libr. XI cap. XIII et XIII, vbi veri fontes
 huius

ALII REDDVNT opidétra constitutum, ordinatum et factum. Quae interpretatio SOCINIANIS tantum non omnibus perplacuit ut erroribus suis fauere visa (f). Vtraque illorum versio noui testamenti germanica sic reddidit haec verba, racouiensis, *Der verorånet ist zum Sohne Gottes mit Krafft, nach dem Geist der Heiligung, aus der Aufferstehung der Todten.* Cum qua consentit felbingeriana priora verba sic exhibens, *Der verordnet ist ein Sohn Gottes in Krafft.* ION. SCHLICHTINGVS (g) vertit quidem hanc locutionem *definitus est DEI filius*, addita tamen parapraphasi, *definitus, id est constitutus per metonymiam caussae pro effectu.* Nam per definitiōnem seu designationem constituebantur magistratus seqq. IO. GRELLIVS in parapraphasi ep. ad

ROMAN,

huius opinionis seu auctoritates patrum, AVGUSTINI in primis adducuntur, atque anonymus scriptor de la défense de la traduction du nouv. testament imprimée a MONS contre M. MALLET libr. III chap. III et V vbi ANT. ARNALDVUS plura interpretum latinorum suffragia excitat pro hac sententia. (f) Solus SAM. PRCIPCOVIVS cogit. sacr. ad initium euang. MATTH. et omnes epist. apostol. pag. XXXVI in aliam sententiam aequem erroneous concedit, his verbis significari arbitraeus: CHRISTVM ab ipsa nativitate destinatum fuisse spiritus sancti miraculosa operatione in ipsius conceptione et signis postea editis ad diuinitatem per resurrectionem connexamque exaltationem obtinendam. (g) Commentar. in plerosque nou. test. libros tom. I. pag. CLVI.

(g)

ROMAN, (h) *ira textum proponit constitutus est
DEI summi filius potentissimus, quod in comment.
in epist. ad ROM.* (i) *sic explicat: τοῦ δειδέντος
qui constitutus est, non ut vulgo solent hoc loco
verbum illud interpretari, qui declaratus id est
manifestatus (nam alioquin declarare aliquem con-
sulem apud LATINOS significat consulem creare, seu
constituere, quo sensu id hic admitti posset) nec
enim hic agitur de rei, quae iam fuerit, declara-
tione seu manifestatione, sed de rei, quae non-
dum erat, constitutione. Cum quibus hac in
explicatione consentiunt ARMINIANI plerique,
comprobatur ea re sententiam suam de pluribus
rationibus cur CHRISTVS in sacris litteris filius DEI
dicatur*

(h) *Operum exeget. tom. I. fol. CCHI. (i) ibid.
fol. LXVIII. Cum quo loco conferatur eiusd.
de uno DEO patre lib. I sect. II cap. XXXI, atque
praeterea ION. SCHLICHTINGII disputatio aduersus
BALTH. MEISNERVM art. II membr. II pag. CCCCXV
et membr. III pag. DLXIII, VAL. SMALCHI refutat.
thesium WOLFG. FRANZII disput. III p. LXXVI
atque anonymi (qui IO. PREVSSIVS fuit) *Gespräche
von der Dreyeinigkeit* pag. DCXXXXVI seqq. Cum
quibus tamen iungi debent ABR. CALOVIVS in exam.
libror. CRELLII *de uno DEO patre* §. CCCXXXV etc.
et CCCLVII etc. ei. *socinism. proflig. art.* II.
*controv. X. et theol. apost. ROM. p. XX. seqq. ADAM.
SCHERZERI colleg. antisocin. disp. XV. pag. CXXXV,
IO. HOORNBECKI *socinianismi confutati* tom. II pag.
XXX seq. et THEOD. DE BLANC *principes contre les
SOCINIENS part. II sect. VII chap. XXXVI art. II.***

(i)

dicatur (k). Operose satis eam colorat PHIL. LIMBORCH in *comment.* in ep. ad ROM. (l) ita vertens verba nostra per resurrectionem autem ex mortuis e gremio terrae quasi natus et produclus et noua ac immortali vita a DEO accepta constitutus est filius DEI.

ARGUMENTA huic interpretationi praetexi solita eo redeunt: primum ob connexionem debere vocem τοῦ ὄγειθέντος comm. III respondere voci τοῦ γενομένου comm. III. Sicut igitur CHRISTVS non dicatur manifestatus sed factus filius DAVIDIS, ita etiam eumdem non manifestatum sed factum et constitutum filium DEI dici hac altera voce: quo tamen vix cogitari potest quidquam a legitima interpretandi ratione alienius. Ne tunc quidem, si de diuersa re eodem verbo locutus fuisset apostolus, id valeret ratiocinium; quum verborum significatus per nominum appositorum significationes verfaque vice determinetur: multo vero minus id locum hic habet, vbi PAVLLVS studio aliud verbum adhibet, quod facturus non fuisset, breuius et clarius longe de eadem re locuturus eadem voce. Illud certe in hac obiectione supponi debet, quod probandum erat, non differre generationem CHRISTI

fe-

(k) De qua opinione conf. SIM. EPISCOPII *instit. theol. lib. III sect. II Cap. XXXIII* et PHIL. LIMBORCHII *theol. christian. lib. II. cap. XVII §. VIII* et X.
 (l) pag. CCXXIII et CCXXVI vbi in observatione ad *comma IIII CRELII* argumenta et verba sua facit.

(m)

secundum carnem tempore saltem ab illa generatione qua DEI filius est: quod non solum ex hoc loco demonstrari non potest, aliisque oraculis repugnat, verum etiam cum ipsa aduersariorum doctrina huiusque loci explicatione parum cohaeret. Secundum argumentum petitur ex significatione ordinaria vocis ὁ γένεσις, quae nusquam in sacris litteris designare, sed semper decernere et constituere significet, quem in finem allegatur Lvc. XXII comm. XXII ACT. II comm. XXIII cap. X comm. XXXXII et cap. XVII. comm. XXXI. Quod etiamsi concederetur, necessitatem eiusdem significationis hoc in loco non euinceret. Omnis vero haec ratio ambiguitate latinorum vocum absolvitur, ex eo enim quod verbum ἀπογένεσις decernere, rem futuram apud animalium constituere et secum determinare significat, certe non sequitur ut quaevis rei constitutio effectio et procreatio eodem denotetur. Nostrum vero declarationis significatum postea stabilitum ibimus. Praeter hunc parallelismum verbalem tertio ad realem prouocant, arbitrati ex collatione ACT. XIII comm. XXXII et XXXIII cum PSAL. II comm. VII elucere generationem CHRISTI a DEO, qua filius ipsius erat, peractam fuisse eiusdem a mortuis susciratione. Qua in argumentatione alterutrum gratis supponant necesse est, vel ἀνάστασισ τοῦ οὐρανοῦ resuscitationem eiusdem a mortuis indicare, quum missionem ipsius in uniuersum omnem promissorumque de ipso facta-

factorum praestationem significare possit per
 ACT. III comm. XXVI. XXII coll. DEVT. XV
 comm. XV. XVIII, neque contrarium ex l. c.
 comm. XXXIII demonstrari queat, vbi noua
 mentio fieri incipit resurrectionis ex mortuis,
 vel oraculum PSALMI secundi eo loco comm.
 XXXIII excitatum, vt vnum ex praecipuis in
 CHRISTI missione per resurrectionem a mortuis
 obsignata impletis, ad solam hanc resuscitatio-
 nem pertinere. *Vltimam* denique argumenti
 speciem defumunt ex ipsa rei inuestigatione per-
 negando CHRISTVM resurrectione declaratum
 fuisse DEI filium, etiamsi ponatur, quod tamen
 neutiquam concedunt, vi suamet ipsius propria
 eamdem peractam fuisse. Egregia sane ra-
 tio ! Qua si quid proficeretur facilis foret
 refutatio quarumvis doctrinarum in sacris
 litteris euidentissime reuelatarum : quum
 quo quis imperitor arrogantiorque fuerit, eo
 impudentius negare posset, has illasue doctrinas
 a se intelligi atque adeo in sacrarum litterarum
 explicatione locum habere. Ipsi fatebuntur ad-
 uersarii iam ante resurrectionem CHRISTVM fuisse
 DEI filium: quod coaceruatae ab ipsis rationes
 huius praerogatiuae in CHRISTO obuiae satis
 comprobant, ei ipsa haec illorum sententia per
 ascensionem demum connexamque exaltationem
 eumdem plene effectum fuisse DEI filium, vnde
 consequeretur neque concipi posse qua ratione

per

per solam resurrectionem euaserit filius DEI sine reliquorum oraculorum diuinorum euersione.

TERTIA IAM sequitur vocis explicatio certior, qua ὁρίσεις idem est quod declaratus, definitus. manifestatus. Ipsa vocis etymologia hunc significatum requirit. Sicut enim ὁρός terminus, limes est, ita ὁρίζω terminum ponere, circumscribere limitibus, definire, determinare, idque vel rem futuram decernendo praecidendoque vel praesentem significando, notas characteristicas indicando, eamque id vere esse demonstrando et solemniter pronuntiando quod esse fertur atque videtur. Atque ad illam significationem oculo illa loca omnia in nouo testamento obuia (m) referri poterunt, teste inductione: licet prior subordinatus significatus decernendi in plerisque reliquis praeualeat. Eamdem glossaria vetera (n), scriptores profani (o), et ecclesiastici (p), neque mi-

(m) LVC. XXII com. XXII ACT. II com. XXIII cap. X. com. XXXXIII cap. XI cap. XXVIII cap. XVII com. XXVI et XXXI EBR. IIII cap. VII vna cum nostro ROM. I com. IIII. (n) Conf. ALEX. MORI notas in nou. foedus a 10. ALB. FABRICIO in obseruatt. selectis in varia nou. testam. loca denuo editas pag. CIII. (o) WIL. BVDAEI comm. graec. ling. col. DCCCLXX seq. celeberr. IAC. ELSNERI obs. sacr. tom. II pag. IIII. (p) In BARNABAE epistola cap. XI et XII eadem vox eodem significatu occurrit. Patrum et interpretum graecorum, quorum maior certe quam latinorum ratio habenda est in hoc negotio philologico, bene mul-

nus versio syriaca comprobant. Ut igitur ὁρθεῖς idem significet quod ἀποδεδηγμένος ACT. II. com. XXII cap. XIII com. XXXIII προσαγορευθεῖς EBR. V com. X et σφραγιθεῖς IOAN. VI com. XXVII. Quod qua ratione factum sit resuscitatione CHRISTI ex mortuis explicata demum ultima phrasι ἐξ αὐτοῦ σεως νεκρῶν ostendi poterit.

SECVNDA LOCVTIO ἐν διάφασι varias, itidem interpretationes subiit. Sunt qui eam cum praegressa phrasι immediate coniungunt ut vel adiecti vices sustineat si ad viōν Θεοῦ refertur, vel aduerbii si cum ὁρθεῖς proxime cohaerere existimetur. Priore modo significaretur illa, CHRISTVM, fuisse declaratum DEI filium potentem eminentem prae reliquis latius sic dictis et adoptiuis filiis, comprobantem efficacissime diuinitatem suam, vt qui non λεγύμενος vel ἐν λόγῳ sed ἐν δυνάμει sit DEI filius. Atque haec interpretatio positu verborum immediato se commendare videtur, vnde celeberrimis interpretibus arrisit (q). Posteriori vero ratione his adiectis vocibus indicaretur, factam fuisse hanc declarationem filii DEI potenter et quam effic-

L cili-

multa collegit DIONYS. PETAVIVS loco not. d. alle-gato et IO. CASP. SVICERVIS in thesano eccl. sub voce ὄρος (q) SEB. SCHMIDIO in eomm. in VI priori cap. ep. ad ROM, pag. XXX STARKIO in not. sel ad loc. sel ep ad ROM p. CXXVIII MARCO VAN PEENE in comm. ad b. loc. p. CCXXXII et CHRIST. SCHOETGENIO in hor. ebr. adu. tesi, pag. CCLXXXVII. (r)

cissime, modo ad fidem omnibus abunde facientiam sufficiete exceptionibusque longe maiori. Atque sic coincidit immo maius pondus habet quam δύνατως II THESS. I com. XI. COL. I com. XXVIII. MARC. VIII com. I. LVC. IIII com. XXXVI. (r) Quae sententia cum connexione maxime cohaerere videtur.

ALII AB antegressis vocibus separant per incisum, et sicut reliquias duas phrases ita hanc etiam pro descriptione modi habent, quo haec declaratio filii facta sit (s) per miracula et operaciones infinitae virtutis. Sicut enim δύναμις frequentissime in sacris litteris extraordinaria signa et miracula edita significant: ita etiam ἡ δύναμις hic indicat per potentiam quae miraculis perpetratis abunde se exseruit et omnibus approbavit (t). Quae interpretatio fortius cohaeret cum omni contextu si potissimum ad miraculum ipsum resurrectionis, et quae cum eadem con-

nexa

- (r) Conf. IAC. WELLERI et IO. IAC. RAMBACHII *comm.*
in ep. ad ROM. et WOLFI curas ad h. loc. (s) Interpretationem THOM. DE BLANC loc. supra not.
 h. citato nihil moramur ut minus probabilem,
 qua δύναμις ex coll. LVC. I com. XXXV ad ipsam
 diuinam naturam refertur: quam etiam multis
 rationibus exornauit DION. PETAVIVS *dogm. theol.*
tom. II lib. III §, VIII. Poteſt tamen haec opini-
 o ad sensum priorem ante adductum referri.
 (t) Suam fecerunt hanc sententiam summ. ven.
 IOACH. LANGIVS *in com. ad b. I. GROTIUS in annot. ad b.*
loc. HOORNBECK loc. cit. not. h. et TILLOTSON 1.
cit. not. d. (u)

nexa fuerunt prodigia restringitur, reliquis tamen non exclusis, quae et ipse peregit CHRISTVS et sua virtute discipulis concessa suoque nomine ab illis perpetrata fuerunt.

ACCEDIMVS ad tertiam locutionem κατὰ πνεῦμα ἀγιωσύνης: quae duplēm interpretationem admittit. Una refertur ad SPIRITVM SANCTVM, qui non solum in formanda vngendaque infinitis et extraordinariis donis humana CHRISTI natura occupatus fuit LVC. I com. XXXV MATTH. I com. XVIII. XX. cap. XII com. XXVIII. MARC XII com. XXXVI IOAN. I com. XXXIII cap. III com. XXXIII: verum etiam a CHRISTO discipulis donatus fuit donis suis et operationibus extraordinariis maxime diuinitatem CHRISTI comprobatus IOAN. VII com. XXXVII I cap. XIIII com. XVII seqq. cap. XV com. XXVI ACT. I com. XVI cap. II com. XVII seqq. XXXIII seqq. Quo spiritu ipse CHRISTVS et corpus ipsius spirituale sanctificatus deoque peculiari ratione consecratus fuit, quod tamen rectius ἀγιωσύνη dictum fuisse, praepositione etiam dia non κατὰ propositionem (u).

ALTERA interpretatione his vocibus ipsa CHRISTI diuina natura intelligitur: quam suadent ram
alia

(u) Conf. AVG. VARENIVS in exeg. ep. ad ROM. pag. LXIII et ARNALDVUS loc. cit. not. d. Hanc sententiam praeter SOCINIANOS, qui ob negatam CHRISTI diuinam naturam necessario spiritū DEI seu potentiam eiusdem spiritualem hic assumunt;

alia sacrarum litterarum loca, quibus in CHRISTO *spiritus carni* opponitur, *caro* vero non *corpus* sed omnem naturam humanam humilem in primis et infirmatam indicat, *spiritus* igitur per leges oppositionis diuinam in eodem naturam designat
 I PET. III com. XVIII I TIM. III com. XVI EBR.
 VIII com. XII ROM. VIII com. V quam loci nostri connexio, vbi restrictio com. III *natura* σάρκα aut a sensu et ratione destituitur omnino, aut eiusmodi significationem phraseos *natura* πνεύμα requirere videtur, neque verisimilis est eiusdem praepositionis diuersus plane significatus tam breui interuallo obvius (w). Atque haec diuina CHRISTI natura merito suo *spiritus* dicitur et ob simplicissimam essentiam infinitae intelligentiae potentiaeque et in oppositione ad circumscriptam atque caducam rerum corporearum,

ho-

PONTIFICI interpretes plerique ob veterum auctoritates, et ARMINIANI amplectuntur: potest tamen salva fidei analogia locum habere et commodum satis sensum totius loci reddere, quare eam secuti sunt LUTHERVS, HVNNIVS, BALDVINVS alii. (w) Praeter interpretes qui hanc sententiam sequuntur, copiose commemoratos in MATTH. POLI *Synopse* et WOLFFII *curis phil.* ad h. loc. huc concederunt ven. LANGIVS, RAMBACHIVS, WELLE-RVS, SCHMIDIVS, VAN PEENE, POLVS, STEPH. DE BRAIS in *comum. ad b. l.* neque minus illam confirmarunt PHIL. IAC. SPENERVS von der ewigen Gottheit Christi cap. V. § CX et CXV-CXVIII. THEOD. DE BLANC l. c. not. h. et CHRIST. SCHOETGENIVS in *hor. ebr.* ad h. l.

(x)

hominis maxime, in dolem IOAN. III com. XXIII. (x)
 sanctitatis vero tam ob sanctissimam omnique
 veneratione dignissimam perfectionem, qua in-
 finitis modis ab aliis rebus distat, quam ob con-
 secrationem ipsius humanae naturae per hanc
 diuinitatem eiusdem factam, quae rationem con-
 tinet, cur ipse *santhum* DEI fuerit et ad genus
 humanum DEO consecrandum sufficerit LVC. I
 com. XXXV DAN. VIII com. XXIII MARC. I
 com. XXIII IOAN. XVII com. XVIII EBR. X
 com. X cap. VIII com. XIII et cap. II com. XI.

VLTIMA phrasis εξ ἀναστοσεως νεκρῶν pro du-
 plici significatu vocis ἀναστοσεως duplicum sen-
 sum fortitur. Vel enim *transfinge* illa intelligi-
 tur de suscitate mortuorum CHRISTO hic at-
 tributa, vnde totius locutionis ille sensus enasci-
 tur, fuisse CHRISTI diuinitatem demonstratam
 reuocatione mortuorum in vitam indubio ope-
 re diuino, quam CHRISTVS quoad in terris ver-
 faretur aliquoties praestitit LVC. VII com. XIII seq.
 cap. VIII com. LIII seq. IOAN. XI com. XXXII seqq.
 coll. MATTH. XI com. V; quae mortem ipsius
 comitabatur MATTH. XXVII com. LII seq; quam
 discipuli ipsius nomine peregerunt ACT. VIII
 com. XXXX cap. XX com. X; et quam olim perpe-
 trabit, ab ipso CHRISTO diuinitatem suam demon-
 straturo allegatam IOAN. V com. XVIII. XXI.

L 3

XXV.

(x) Loca patrum vbi diuina CHRISTI natura *spiritus*
 vocatur affatim concessit GE. BULLVS in *def. fid.*
nic. operr. p. XVIII. seqq. (y)

XXV. (y) Vel *intransitue* sumitur *avāσaοις*
 quod duplēcēm item sensum parit pro significatiōne
 praepositionis *εξ* diuersa. Quae si tempus
 designat et loco *μετά* aut *από* potius posita exi-
 stimatur (z), ille sensus hic enascitur, a resurre-
 ctione ex mortuis diuinitatem CHRISTI maxime,
 evidentius saltem quam antea, demonstratam
 fuisse omnibusque euictam. Quam interpreta-
 tionem LUTHERI versio exhibet. Si autem vī-
 tatiōne particulae significatus hic retinetur, ut
 principium cognoscendi demonstrandi indi-
 cetur, verba hunc commodiorem verbisque prae-
 gressis et toti scopo sermonis conuenientiorem
 sensum fundunt, CHRISTVM faisse demonstratum
 filium DEI ipsa ex mortuis resurrectione et per
 eamdem. Perinde erit in hac explicatione siue
 fuscitatione siue resurrectione reddatur *avāσa-*
σις vtrumque enim significat. Ellipsis vero
 praepositionis *ἐν* ante *νεκρῶν* repetendae ipsi
 nequidquam obest: quum hic euphoniae in-
 feruiat, neque alibi in sacris litteris inusitata sit,

quod

(y) Proptenarunt hanc interpretationem ERASMUS SCHMI-
 DIVS in annot. ad b. loc. et SEB. SCHMIDIVS tam in com.
 ad b. l. quam in disput. theologico philolog. fasciculo,
 disp. VI pag. CCCLXVII qui posterior tamen CHRISTI
 propriam suimet ipius resuscitationem simul
 comprehendit hac phrasē existimat. (z) Stabi-
 liuerunt hanc significationem particulae *ἐν*
 G. RAPHELIUS in annot. polybianis pag.
 CCCCVIII et SCHOETGENIUS lib. cit. ad h.
 loc. (aa)

quod indubium euadet si conferatur ACT. XVI
com. XXXI et XXXII ERR. VI com. II et I COR.
XV com. XXX. XII. XIII ACT. III com. II et cap
X com. XXXI. (aa)

QVOD SI IAM in summam contrahantur quae haec tenus disputauimus, difficiliora haec verba alterutra ratione reliquis verisimiliore explicari poterunt. CHRISTVM fuisse declaratum filium DEI et per miracula et spiritum sanctum discipulis partum datumque et denique per resurrectionem (bb). Aut rectius, si maius, CHRISTVM efficacissime fuisse declaratum filium DEI per resurrectionem a mortuis secundum diuinam naturam. Vtra lectoribus se approbauerit magis, parum hic nostra refert, euicturis dumtaxat ex hoc oraculo diuinitatem CHRISTI resurrectione ipsius evidentissime demonstrari, quod vtraque interpretatio indubium facit.

QVA VERO ratione haec demonstratio procedat paucis nunc explicatum ibimus, si prae-
mouerimus studio hic a nobis praeteriri senten-

L. 4

tiam

- (aa) Plerique interpretes hunc sensum amplectuntur cf. in primis IO. IAC. RAMBACHIVS in com. ad b. I. pag. XXXXIII. vbi tamen ponit non debuisse, passuum sensum videri hic praeferendum, quum ea quae consequuntur satis demonstrant ipsum auctorem haec verba de actiua CHRISTI suimet ipsius suscitacione interpretatum fuisse. (bb) Conf. le nouveau test. par le BEAVSOBRE et l' ENFANS ad b. loc.

riam de resurrectione CHRISTI ab ipsa humana eiusdem natura peracta, seu huius naturae infinitis perfectionibus per vniōnem hypostaticam praeditae ad suscitationem suimet concursu: quae licet verissima sit aliunde facile probanda tantumque absit, ut demonstrationem diuinæ in CHRISTO naturae infirmer, ut eam potius si ipsa recte stabiliatur corroboret; hic tamen eius tractatione supersedemus, ne longius distrahamur ab oraculo nostro, cum quo non ita cohaeret, ut ex eo deduci queat aut ad illud illustrandum necessaria sit.

IPSA Igitur demonstratio diuinitatis CHRISTI per resurrectionem eiusdem facta dupli ratione concipi potest. Vna si passiuē consideratur atque ad DEVVM refertur, altera si actiuē Ipsi CHRISTO tribuitur. In vtraque afferenda ipsas sacras litteras habebimus praeēentes.

FREQVENS SATIS mentio fit in sacris litteris suscītationis CHRISTI ex morte a DEO et PATRE in primis ob oeconomiam personarum diuinarum, sicut in ACT. II comm. XXIIII, XXXII. cap. III comm. XV cap. IIII comm. X. cap. X comm. XXXX. cap. XIII comm. XXXII. XXXXVII. ROM. III comm. XXII cap. VIII comm. XI. I COR. VI comm. XIII. 2 COR. IIII comm. XIII EPH. I comm. XX. Qua ipsa re DEVVS testatissimam facit indubiamque arctissimam eiusdem ad se relationem ipsam diuinitatem, atque id multipli ratione et remotiōre et proprieōe.

EMOR

REMOTIVS DEVS CHRISTVM declarauit filium suum reuocando ipsum ex morte , *primum* quum ea re solempne testimonium perhibuit tam summae gratiae , qua apud se valeret , quam veritatis certissimae omnium ab eodem vniquam dictorum , atque adeo et diuinitatis ab ipso saepius sibi vindicatae . Solemnius certe significare non potuisse DEVS , per placere sibi CHRISTVM , probarique omnia ab ipso in terrarum orbe gesta , quam vindicando eumdem ex morte , quo documento apud omnes constare potuit fuisse IESVM vere a DEO legatum eidemque sacrum . Neque certius et exceptione maius testimonium DEI existare potuisse veritatis sermonum CHRISTI doctrinarumque ab eodem propositarum hoc redditu ipsius in vitam . Impostorem , erroresque et falsa professum eiusmodi miraculo confirmare nūquam potuisse sine iactura sanctitatis veracissimae benignissimaeque , quae tamen de DEO cogitari nequit . Quam ob rem ipse CHRISTVS in terris versatus ad hoc DEI testimonium , quod fuscitando ipsum a mortuis editurus erat , vt omnium grauissimum fidemque doctrinae suae facturum , prouocauit MATTH . XII comm . XXXVIII seqq . cap . XVI , comm . IIII . LVC . XI comm . XXVIII et IOAN . XLI comm . XVIII . XX . Nemini autem sermonum doctrinarumque CHRISTI non penitus ignaro obscurum aut dubium esse potest , CHRISTVM sapienter quidem et pro humilitatis necessariae conditione , libere tamen

PROGRAMMA

et cum vitae periculo diuinitatem sibi vindicasse
seque professum fuisse DEI filium, adeo arde
cum ipso coniunctum, ut vnum sint, ipseque
eodem honore quo pater venerandus sit. Qua-
re subductis his rationibus omnibus iure merito-
que hinc effici arbitramur diuinam hanc glo-
riam CHRISTI omnium doctrinarum ab ipso pro-
positarum maxime dubiam vim fundementum
tamen reliquarum necessarium, a DEO efficacis-
sime obsignatam fuisse et testificatam fuscitatione
eiusdem a mortuis. ACT. XVII. comm. XXXI.

PRAETEREA indirekte et remotius DEVIS com-
probauit diuinitatem CHRISTI procurato eiusdem
in vitam reditu: quum ea re peractum ab eodem
redemptionis hominum opus declarauit, quod
seruatorem infinitum aequem ac finitum, immen-
sique valoris requirebat. Resurrectionem CHRI-
STI solemne et iudiciale testimonium fuisse, eum-
dem vadimonium obiisse, et praestitisse exacte
quae ab ipso vice hominum apud DEVVM reorum
praestanda fuerant, sacrae litterae euidenter do-
cent IES. L comm. VIII cap. LIII comm. VHI.
X seqq. EBR. XIII comm. XX ROM. III comm.
XXV. ACT. II comm. XXIII coll. cum cap.
XVI comm. XXXVII. diuinae autem virtutis
negotium fuisse hoc opus satis constat ex PSAL.
XXXVIII comm. VIII. VIII et ps. XXXX
comm. VII-VIII atque EBR. VII comm. XXVI
seq. quam ob rem eadem fuscitatione CHRISTI
ex morte atque in libertatem restitutione, infi-
nitum

nitum eiusdem valorem immensamque virtutem
atque adeo et diuinitatem fuisse demonstratam.

PROPIVS vero et directe magis eadem haec
CHRISTI deitas suscitatione ipsius a mortuis euicta
fuit, quum DEVS ea re publice declarauit com-
petere CHRISTO non solum ius legitimū, ver-
rum etiam necessariam possestionem vitae semi-
piternae. Postquam enim CHRISTVS ea omnia
exantlauerat iisque vicisitudinibus tatisficerat,
quae per DEI consilium, et redēptionis oeco-
nomiam subeundae fuerunt: restituendus omnī
no erat plenae perpetuae et euidentissimae pos-
sessioni maiestatis, quam non meruerat sibi sed
ex vnione humanae naturae cum diuina habe-
bat. Quod quum suscitatione eiusdem ex mor-
tuis factum sit, statuendum omnino est, CHRI-
STVM aut sibimet ipsum promeruisse hanc glo-
riam, quod vicariam satisfactionem penitus
euenteret, aut resurrectione tantum plenam
possessionem praerogatiuarum diuinitus accepisse,
quibus se sponte euacuauerat antea, et quae ipsi
vt Σεανθρωπω debebantur atque per ipsam natu-
rarum vnionem propriae erant, idque a DEO
ipsum vitae restituente declaratum fuisse, quod
EX ACT. II comm. XXIII. PHIL. II comm. VIII
neque minus ACT. XIII comm. XXXIII si de
suscitatione ex mortuis intelligitur, et euiden-
tius EX comm. XXXIII sq. eluet.

ALTERA demonstratio diuinitatis CHRISTI ex
resurrectione ipsius desumitur: si vt actue ab
ipsomet peracta consideratur, siue diuinæ natu-

rae

rae siue vtrique rectius id tribuatur. Suamet virtute ipsum CHRISTVM se vitae restituisse indubium est ex IOAN. II comm. XVIII. XVIII. cap. X comm. XVII. XVIII collato I PETR. III comm. XVIII. Diuinam autem infinitamque potentiam id requirere et constabit ex COH. VIII comm. VIII. II REG. V comm. VII. PSAL. LXXX comm. III et cuius facile per se patebit. Vnde recte colligimus CHRISTVM omnibus se comprobasse DEI filium suaeque diuinitatis certissimam fidem fecisse reditu in vitam sua vi peracto.

INTELLIGETIS ex hac tenus disputatis, CIVES CARISSIMI! quam ingens pondus ferat resurreccio CHRISTI ad omnem doctrinam christianam, atque ipsam salutem aeternam, quantique vestra interfit illam non solum cognitam perspectamque, verum etiam recte apud animum collocatam applicatamque haberi. Agite igitur, vestris commodis opportune consulite, vindicate hos dies a ciuitate CHRISTI huic doctrinae recolendae consecratos, si eius ciues estis, sanctis meditationibus, solemnibus sacris, effusissimisque ad DEVVM CHRISTVMQUE precibus. Vestrum facite CHRISTVM ex morte expiatoria reducem, ut felicissima eius coniunctione potiti filii DEI ipsi euadatis ex morte olim reuocandi declarandique haeredes et participes gloriae primogeniti huius ex mortuis. P. P. in academia fridericana d. V. kal. april. qui in fastis sacris est vigilia paschae anni clo 10 CCXXXVIII.

PRO-

PROGRAMMATA SCHOLASTICA

QVIBVS

**LVSTRATIONVM IN ORPHANOTRO-
PHEO GLAVCHENSI INSTITVENDA-
RVM SOLEMNIA
LITTERARVM PATRONIS
ET FAVORIBVS
INDICVNTVR.**

ABRAM M A E S C H
A D I T D A L O N G

СЯ РОДИЛ ВЪ ПЕРІОДЪ
АСТРАХАНСКОГО ГУБЕРНАТОРСТВА
СИ СЯ РАСПРОСТРЯЛ ВЪ
СЪЮЗЪ БЫСТИЧІИ

PROLVSIO AD EXAMEN SOLEMNE

D. III. ET IIII OCT. CLO IO CCXXVIII

HABITVM

QVam ante sex menses publice institui-
mus *classis selectae* lustrationem sole-
muem, gratam sibi fuisse non obscuris
voluntatis suae significationibus decla-
rarunt litterarum patroni, et quotquot frequen-
tes eo tempore confluxerant, auditores. Eam-
dem simul deprehendimus inferiorum ordinum
alumnis incitamento fuisse, ad torporem, qui
nonnullorum animos occupauerat, excutien-
dum, aemulumque illorum studium inflammaisse,
vt ad praeclarum humanitatis decus, maiori,
quam vulgo fieri solet, nisu adspirarent. Qua-
re subductis his rationibus, exacto iam ordina-
rio temporis, quo labores scholastici circumscri-
buntur, interuallo, huius diei solemnitatem re-
perendam esse duximus, vt et noui huius classis
ciues, qui in locum priorum successerunt, in-
dustriae in arte oratoria, theologia, philosophia,
latina et graeca lingua collocatae, specimina edant,
et viuis ex illis *) GEORGIVS LVDOVICVS HERN-
SCHMIDIVS, bopfingenfis, optimi, et de orpha-
notropheo meritissimi parentis filius, qui annuo
cursu

*2 iam legionis Kleistianae sacris BEROLINI preeft.

cursu finito ad academiam, non sine diligentiae laude dimittitur, publice scholam nostram valere iubeat. Huius vero celebritatis quidquid erit, cum ordinario vniuersae scholae examine coniungere, quam singularem ipsi diem destinare maluimus, ne patronorum, qui exercitiis nostris scholasticis beneuoli interesse solent, favore abuti velle videamur, nec illis, qui ex reliquis ordinibus ad academiam festinant, longiorum moram iniiciamus. Quamobrem pro more apud nos recepo, die III. Octobris singularium classium profectus examinabuntur, interspersis declamationibus quorumdam ex classe prima alumnorum, die vero IV. horis matutinis classis selecta, et a meridie tandem reliquae, quae super sunt classes, examinis periculum subibunt.



EXER-

PROGRAMMA SCHOLASTICVM II. 177

PROLVSIO
AD EXAMEN CLASSIS SELECTAE

D. III. APR. CLO IO CC XXX

INSTITVTVM.

CRebriorem exercitationem et frequen-
tiorem usum, si quid aliud, summae et
inevitabilis necessitatis esse ad littera-
rum studia, ab antiquissimis temporis
bus inter omnes harum rerum vel leuiter gnaros
dudum conuenit. Nascimur hac lege miseri mor-
tales ad unum omnes, ut praeter facultates et
vires a natura habeamus nihil: reliqua, quae ad
habilitates, artes et dexteritates pertinent, cun-
cta ab exercitio profiscantur. Nec ita corpo-
ris dumtaxat indoles comparata est, ut eius vi-
res non sine frequentiori et saepius repetito labo-
re ad artis conditiones subigantur, et illo tandem
adhibito, excellens quid et incomparabile ena-
scatur in artibus et opificiis: sed animi eadem ra-
tio est. Quod experientia et illorum quae no-
bismet ipsis euenerunt conscientia, vlla exce-
ptione maior testis satis euincit. Exercendo enim
recte cogitamus, percipimus, recordamur, iu-
dicamus, ratiocinamur. Ad eloquentiam in pri-
mis una haec exercitationum frequentia requiri-
tur adeo, ut nemo umquam dicendo, pure, per-
spicue et eleganter loquendo ante valeat, quam

M

in-

innumera huius laboris fastidia deuorauit. Fin-
gamus hominem sexcenta rhetorum praecepta e-
doctum, vsu tamen et exercitio destitutum: dici
non potest, quam inepte, quam misere is, ad
declamandum forte lacefitus, balbutiet, voces
tertiabit, et auditorum stomachum ac risum moue-
bit. Quare illi demum doctores iuuentuti, suae
disciplinae permiscae, recte consulunt, qui non
tam id operose agunt, et regularum et praece-
ptionum mole illam onerent et tantum non obru-
ant, quam ut post breuem institutionem ad exer-
citationis et usus contentiones illam reuocent, et
litteris quotidiana consuetudine familiariores red-
dant. Hac enim ratione tenera aetas non memo-
riae mandat, quomodo se gerere debeat, quid cc-
gitatu, dictu, factuque opus sit, sed experiu-
ndo discit. Sic praeceptiones aliud quasi agen-
tibus se insinuant, et puerorum ingenia, ad imi-
tationem tota composita, non magis facili quam
felici negotio difficillima quaevis superant. Ha-
bet hoc peculiare umbra scholastica, ut in illa
haec laborum et exercitationum felicitas magis
vigere possit, quam alibi inter litterarum culto-
res: quos laboris piget, ac interrogationum et
correctionum pudet; quum scholarum contra
subsellia non solum viua docentium, sed et di-
scientium voce, et mutuis sciscitantium, exami-
nantium et respondentium reciprocationibus per-
sonant, et hunc scholasticum puluerem incredi-
bilis virium contentio exercet. Quem morem
no-

nostris temporibus, summo saeculi beneficio, in scholas postliminio reductum sancte et studiose adhuc obseruauimus, *cum* apud omnem, quae vndeque ad hanc orphanotrophei scholam frequens confluxit, iuuentutem, tum in supremo maxime discipulorum selectorum ordine. Nam quem illi nemo abscribatur, quam qui reliquas ordinarias classes emensus, ad academiam matruisse videtur: omnis in eo opera collocatur, ut ultima ipsis lima adhibeatur et exercendo magis magisque poliantur et perficiantur. Quam ob rem praeter auditions quotidianas theologicas, philosophicas, ebraicas, graecas et latinas, atque exercitationes oratorias et disputatorias, in scriptioribus variis conficiendis sedulo elaborant. Vnde factum est, ut XII huius ordinis ciues, sex mensibus hibernis, qui ab examine solemnii nouissimo effluxerunt, disputationes XXIV componebant, declamationes XLVII, quarum aliquot quidem germanice, pleraque tamen latinae et soluta et ligata oratione scriptae sunt, epistolas XXX, dialogos XXIX, carmina XVIII, translationes paraphrasticas, inscriptio-nes et fabulas XXIV: ut breuiores meditationes taceamus. Quas applicationis logicæ causa conscripserunt, quae omnia censuram et virgulam criticam subierunt, quantum profecerint his concatenatis laboribus et exercitiis, publico iam specimine ex laudabili consuetudine declaratum ibunt

In iisdem solemnibus ultimos simul sermones habebunt scholam cum academia commutaturi (a) IOANNES GOTTFER. ARNDIVS, halensis, IO. CAROLVS SCHVLTZE, guelpherbyt. et IO. HEINRICVS FREVDE, prizwalcensis, pereximii ingenii et optimae spei iuuenes, quorum secundus VIII annos in schola nostra, reliquorum vterque V, singuli autem integrum annum in hac classe transegerunt, bonorum et diligentium discipulorum officiis functi. Ex reliquis, qui semestre tantum tempus in hac arena consumserunt, domesticis rationibus ab illa statione euocati, scholam valere iubebunt (b) IACOBVS HILDEBRAND, wernigerodanus. bonae mentis et litterarum elegantium studiosissimus, nec non SEBAST. HEVCKE, halberst. et (c) CHRIST. PETR. SIXT. CRAVSE, stendalensis, ingenii singulari praestantia commendabiles. Fortunet ipsis DEVS hanc studiorum mutationem. Continuet et perpetuet, beneficia in illos cumulata et noua atque maiora in dies incrementa iis adiiciat.

- (a) Scholae in insula OSELIA ad LIVONIAM pertinente praefesse dicitur. (b) Domestica celissimi STOLBERGIAE comitis, CHRISTIANI ERNESTI, qui WERNIGERODAE degit, sacra administrat. (c) Gymnasi revaliensis professor celeberrimus.



PRO-

PROGRAMMA SCHOLASTICVM III.

PROGRAMMA
DE TRANSITV EX SCHOLIS
IN ACADEMIAS FELICITER
INSTITVENDO AD EXAMEN SO-
LEMNE D. IX ET X OCT.
clo I^o ccxxx.

Permagni interest et reipublicae temporumque felicitatis, et singulorum, qui litteris operantur priuatae vtilitatis, ab omnibus scholafticae vitae cum academica commutationem bonis auspiciis, recte et sapienter fieri: quae, si intempestive, male et sinistro omne fuscipitur, dici non potest, quam sit perniciofa, et ad irreparabile damnum saluti inferendum comparata. Habet enim hic ad altiora studia transitus incredibilem vim et efficaciam in adolescentium animos, mores, studia, fortunam, et vitam denique omnem. Quod et per se nemini obscurum esse potest, qui iuuentutis ingenia vel leuiter norit, et luculentis exemplis illustratur, quoties noui homines in academias commigrant et ciuitate donantur. Summa igitur cautione, ne quem illius mutationis vñquam poeniteat, prouidendum est. Prouideretur autem felicissime, ni toti fallimur, si, et quo tempore, et quaratione ex scholis ad academias transeundum sit, sollicite cogitetur. Vtrique et tempori et modo sua ra-

M 3 tio

PROGRAMMA

tio constet necesse est: adeo ut illi aequa male suis rebus consulant, qui vel intempestive, vel praepostere in hoc genere agunt.

Tempestiuam e scholis emigrationem facit et *aetatis* et *prospectum*, quam quisque consequutus est, maturitas. Prudenter olim ROMANI, sapientissimi mortales: pubertatem, et togae praetextae cum virili commutationem certis annorum limitibus definierunt: arbitrati rarius naturam ordinaria annorum spatia anteuertere. Quae nec nostris temporibus ita a seipsa recessit, ut in ingeniiorum maturitate per saltus eundo se praecipitet, et fructus satis coctos vna cum flore virecente ferat. Non quidem adeo arce cohaerent annorum progressiones, cum ingeniorum incrementis, ut, non nisi cum barba, et ad illius succrescentis mensuram, vires intellectus maturescant. Ne in corpore quidem staturalae accessiones illam annorum proportionem aequaliter obseruant. Plerumque tamen puerili aetati deest prudenter de rebus iudicandi dexteritas, vnde et pueriliter, hoc est inepte viuendi ratio in pueris maiorem, quam in adultioribus excusationem habet. Ad academicam vero vitam, quam necessaria sit haec dexteritas, nemo ignorat: cum in homine idem sit quod in nauigubernator, quam illo destitutam, mari et tempestatibus permittere, esset periculosisimum. Ipsorum quidem annorum, quos exspectare oporteat, determinationem nostri iudicii esse negamus: omni tamen

men assueratione affirmamus, a praematura maturitate cauendum esse sedulo, nec facile aetatis veniam dandam esse ad academiam aufugituris.

Ne quis tamen barbam in academiae candidatis sufficere existimet, profectuum simul mentionem adiecimus: ut qui maximum ad hanc rem momentum habent. Ipsa scholarum inferiorum et superiorum distinctio videtur a maioribus, cordatis et prudentibus viris eo consilio facta, ut singulae suos labores, sua studia sibi propria vindicarent, nec quis ad altiores superiorum scholarum auditiones admitteretur, ante tirocinia in inferioribus recte posita. Qua re cautum esse voluerunt, ut omnes propaedeuticis litteris nondum initiati profani haberentur, et ab adytis ac penetralibus scientiarum, illarumque sacris vio landis arcerentur. Cuius instituti obliuionem magna eruditionis iactura et mira rerum confusio infecuta est. Cognitione enim et naturali vinculo inter se iunctae sunt et copulatae disciplines ad unam omnes. Elegantiorum in primis litterarum ea est conditio, ut ad superiores scientias viam pandant, ingenia praeparent et illis carere nemo possit, qui in grauioribus doctrinis proficere illasque sibi familiares reddere velit. Quam ob rem spatiofissimus illorum studiorum, quae ab humanitate nomen trahunt, ambitus ante decurrentis est in scholis, quam aditus ad altiora tentetur. Oleum is perdit et operam in academiis, qui, ab his litteris impa-

ratus, ad reliquarum mysteria praeproperea festinatione auolat, et reconditis disciplinis temerario ausu immiscetur. Non magis ad domum, quae aetatem ferat, exstruendam fundamentis opus est, quam his subsidiis ad solidam eruditionem comparandam. Praeclare de re litteraria ageretur, si omnes academiae candidati linguas scitu necessarias calerent: *latinam* ita sibi conciliassent, ut non solum latina, sed latine etiam latina scriberent et loquerentur: *graecam*, *galicam*, et si quis sacris litteris olim operam esset daturus, *ebraicam* quoque addidicissent: *historiarum* et cognitarum litterarum gnari essent: *theologiam* ad omnes vitae casus, et ipsam aeternitatem, cui nascimur, maxime necessariam, ac *philosophiae*, instrumentalis certe, ut vocatur, elementa imbibissent: nec *mathematicis* doctri-
nis penitus destituerentur. Quae tamen non ita intelligi volumus, ac si ignoraremus miram in-
geniorum et scholarum diuersitatem multiplicem
etiam profectuum diuersitatem parere. Exer-
citationses adolescentes illos terminos longissime
migrant, quos hebetiores vix, ac ne vix qui-
dem consequuntur. Misera quoque scholarum
quarundam conditio multos infra debitam pro-
fectuum mensuram subsistere cogit. In illorum
iniuriam haec verti minime debent, quibus tal-
lem CORINTHVM per has caussas, valetudinem
et alias temporum calamitates adire non licet.

Iam

Iam vero, si cum illis quae haec tenus dicta sunt, nostri temporis mores contendamus, bone deus! quam misere in deterius omnia ruunt! quanta confusio, ut reliquos ordines ita et litt eratum, reliquis scilicet oculatiorem inua sit, in hoc mundi senio, ubi dudum in con suetudinem abiit, nihil tempestive facere! Pec catur autem in utramque partem et cunctando, et velocius festinando. Rariora tamen illorum exempla sunt, qui maturitatem et annos ad stu dia accommodatos praeterire patiuntur, omnem aetatis florem in scholis, seu, ut rectius dicamus, in choro musico et paedagogiis consumunt, ac de stipe merenda et vita commodius trahenda quam de studiis prosequendis solliciti magis, academicam peregrinationem tunc demum meditantur, cum ingenium iam debilitatum et effe tum factum est. Cunctabundi hi homines, dum in se solos iniurii sunt nec turbas publicas facile excitant, excusatius peccant aliis, qui le suaque studia praecipitan. Quod parentum saepe, laepius tamen ipsorum puerorum culpa fit. Multi enim parentes vel ad rem attentiores sumtibus parcunt, vel gloriolam ex filiorum praecoci eru ditione captant, vel honores ab illis adeudos iam ambitione distribuunt, vel indulgentius ipso rum lubidini gratificantur et crudos filios in academias protrudunt. Verum multo frequentius ipse iuuenilis pruritus, morarum impatiens, in academiam prorumpit. Variis de cauiss, ut est

M 5

pue-

puerorum ingenium varium et multiplex, iter
hoc adeo acceleratur. Aliis petulantioribus
speciosus libertatis titulus arridet, quare frena
mordere assueti, effrenem licentiam, vitiorum
ac debacchationum impunitatem querunt. Alii
gloriae cupidiores arbitris remotis sui iuris fieri
et domini haberri volunt, ac nescio quid futuri
sibi videntur, si gladio alligatis, nemini de via cede-
dere, neminem salutare liceat. Alii ambitio-
sam excelsioris et praecocis ingenii famam affe-
ctant, aliis persuasuri se ultra communem mor-
talium mediocritatem maturius sapere. Alii lit-
terarum librorumque heluones plura ingurgita-
re et omnem eruditionem citius deuorare se posse
sperant in tanta collegiorum, scholarum audi-
tionumque multitudine. Alii desidiae patroni
plus otii et feriarum sibi promittunt, si nemo
instat diligentiam exstimulaturus. Alii tandem
animileuitate abripiuntur, quotidiana fastidiunt
et consueti laboris pertaesí, ex variatione dele-
ctionem capturi, aut commilitones prouecti-
res secuturi, ante tempus ad academiam pro-
fiscuntur. Incredibile dictu est, quam longe
lateque serpat haec lues, quantamque perni-
ciem saluti publicae inferat. Solet enim de plu-
rimorum salute conclamatum esse, qui pueri in
iuuenum studia immisli, dum solito citius ex
ephebis egressi videntur, puerilitatem in aca-
demiam, et quod peius, in omnem vitam
transducunt: praesertim cum plerosque pudeat,
et-

etiam si ad se redierunt, ad puluerem scholasticum redire. Non vna vero huius miseriae indoles est. Nam multi qui studia academica suas vires superare deprehendunt, et de damno refaciendo desperant, vel cuticulam curant, saturnalia quotidie agunt, missa litteris omnibus nuntio, vel, ne ignorantiam prodant, patientissime, nec sine censoriae grauitatis specie trienium lapis lapidi insident, et tandem studia nondum tractari coeptra absoluunt, ineptiores facti quam ante fuerunt. Alii excitati orem omnem lapidem mouent et operose in eo elaborant, ne tempus in academia frustra praeterfluat: sed cum ignorant quid distent aera lupinis, multa indiscrete, in spem futurae obliuionis additcunt, et ea anxie corradunt, quae olim dediscere oporteat. Aut, ut cum grammatica et elegantiis, quas, ut viles et labore indignas res, alto supercilium ante contempserant, in gratiam redeant, insomnes poctes ad lucernam agunt, et per ambages diffilime eo perueniunt, quorsum facilius et felicius in scholis per mutuas interrogationum et responsionum vices atque elaborationum aemulationes contingere potuissent.

Sed vela iam contrahenda sunt. Quare de recto huius ad academiam transitionis modo, has dumtaxat leges ponamus. I. Cuaeant noui coloni, ne maius et augustius, nec tamen minus et leuius quam par est, huic mutationi premium statuant. Nam qui maioris faciunt, illi
subito

subito toti alii sibi facti videntur, fastu tument, pedem in alio orbe posuisse somniant et pristina quaevis ex alto despiciunt. Illi contra, qui minus aestimant, toti iidem manent, nec cogitant, aliam vitam alios mores postulare. II. A DEO noui laboris et decursus primordia capeant, illum sibi ducem ac moderatorem sumant, ipsi vota nuncupent exacto hoc cursu soluenda. Quo enim periculosior est illa periodus, eo religiosius mala precibus auerruncanda sunt. III. Minus sibi iam licere existiment quam ante. In alios igitur modestiores fiant, ut ingenuae liberalitati conuenit, in se ipsos vero multo seueriores. Circumspectione et longa deliberatione opus est, ne quid temere, inconsulte et tumultuarie agatur. Quamdiu pueris nil praeter obediendi gloriam relinquitur, male et imprudenter actorum culpa maximam partem in paedagogum deuoluitur, quo remoto, omnis in adolescentem redundat. IV. Litterarum studia nec prorsus eadem continent, nec tamen longioribus spatiorum diuortiis remota adgrediantur, sed sensim ad noua et sublimiora adscendant. Et parta tueri virtus est. V. Vitae scholasticae rationes accurata memoria recolant et subducant, ut illas res, vnde damni quid ceperunt, cautiis euitent et veteres scopolos tutius praeterant, atque ab ipsis detrimentis utilitatem capiant. VI. Prouideant tandem ne suo sensu abun-


abundent et se solos duces sequantur neglectis
aliorum monitis.

Ita vero et nobis et huic scholae nostrae fau-
sta et fortunata cuncta eueniant, vt serio opta-
mus, et ardentissimis precibus precamur, vt
quotquot ex hac bonae mentis sede, in aca-
demiam prodeunt, prodeunt autem tamquam
ex equo *troiano*, ingenti quotannis multitu-
dine tempestive, pie et sapienter emigrent.
Quae nostrarum partium sunt, illorum nil reli-
qui facimus: monemus, obsecramus, hortamur
et per sacratissima quaevis obtestamur nostrae
curae concreditos, vt caute his discriminibus se
permittant. Si qui morem gerere recusant,
dolemus: si qui obtemperant, gaudemus. Ad
hos posteriores referendi sunt, vt de nonnullis
certo nouimus, de reliquis speramus, eximii
adolescentes, qui iam sarcinas colligunt et emi-
grationem parant. Vnus ex illis (a) ALEXANDER
GOTTLIEB BAVMGARTEN, supra annum sex men-
tes in ordine selecto transegit, et bonam sui
exspectationem omnibus fecit. Reliqui qua-
tuor (b) SAMVEL ZORN, qui morbo ex quo ae-

LAND

- (a) Professor philosophiae in academia nostra constante
fama atque omnium sermone celebratissimus, de
quo idemtidem mihi cogitanti quam maxime du-
biū videtur, vtrum FRANCOFVRTI ad ODERAM,
cui professor philosophiae ordinarius destinatus est,
maiores sui exspectationem, an HALAE, quam re-
linquit, maius sui desiderium excitaturus sit. (b) Qui
summos in philosophia honores nostrae academie
debet.

gre contuluit, a sermonē constituto habendo
impeditur, IOACHIMVS FRIDERICVS ALBRECHT,
DANNES FRIDERICVS HEYMELL et IOAN NES FAHR-
LAND annuum cursum in hac suprema classe con-
fecerunt, officiis suis multo studio diligenter de-
functi: ad quos accedit LVDOVICVS GVILIELMVS
a LANGENAV, qui post semestre spatium in hac
classe bene exactum hinc euocatur. Illi ut so-
lemnius scholam cum academia commutent, et
quam diligenter, caste ac prudenter in studiis
scholasticis versati sint atque ad academiam ma-
turerint, omnibus probent, vna cum exerci-
tio oratorio quaedam lectionum specimina publi-
ce dabunt. Quae cum examinæ reliquarum scho-
lae classium ita coniungentur, ut primi diei ho-
rae matutinae selecto ordini tribuantur, reliquis
lustrationibus declamationes quorumdam primæ
classis ciuium, inter quos nonnulli academiam
adibunt, immisceantur.



PRO-

PROGRAMMA SCHOLASTICVM IV.

PROGRAMMA
DE ORATIONVM SCHOLA-
STICARVM ARGV-
MENTIS

BENE SELIGENTIS AD EXAMEN

D. II. III. APRIL. clo 10 ccxxxI.

SI quis ex orationibus scholasticis ad utilitatem publicam fructus redundare debet, qui sane magnopere debet et potest esse vberrimus: praeter alias cautiones necessarias, opus est, ut sollicitus thematum et materiarum selectus habeatur, atque adolescentum industria in argumentis exerceatur, et ingenio ipsorum accommodatis, et labore insumto dignis. Quod si negligitur publicae declamationes tantum absunt ab utilitate vera, ut litterarum studiis et solidae eruditioni, quid quod ipsi eloquentiae officiant magis, quam inferuant. Dici enim non potest, quam ingens oratoriae, praestantissimae artis, et bonae mentis corruptio, ex huius rei incuria manauit, quae, malum, iam antiquissimis temporibus et his nostris etiam multas scholas peruersit. Non una autem ratione hac in re ab imperitis eloquentiae cultoribus et magistris peccatur: dum vel nimis ardua et captum iuuentutis superantia, vel subtiliora, inu-

inutilia, ficta et paradoxa argumenta scholasticis sermonibus discutienda sumunt.

Qui arduas quaestiones et publicas controuer-
sias altioris indaginis ac solitu difficultimas ad puluerem scholasticum transferunt: ut ambitio-
sius reliquis agunt, ita primum etiam locum in-
ter ineptos nugatores merito occupant; licet
non careant admiratoribus et multa eruditionis
specie superbiant. Hi vmbomatici doctores nimis
magnifice de oratoria sua sentiunt, illamque pro
arte venditant, de re quavis cognita vel inco-
gnita, copiose et cum multa verborum pompa
differendi. Quare parum de eo solliciti sunt,
an rerum de quibus verba facere volunt, gnari
sint nec ne: verum non felicius, quam si quis pi-
ctor facies et figuratas numquam vias pingere et
coloribus ad viuum repraesentare conaretur.
Hinc temerario ausu grauisimorum rerum cen-
fores et arbitros se constituunt, et, ne quid
ex omni rerum vniuersitate rhetorica suam
dexteritatem subterfugere videatur, in quasuis
disciplinas et caussas petulanter inuolant, nil in-
tentatum et incorruptum relinquunt. Quoties
aliquid noui in aulis, comitiis, et legatorum
conuentibus accidit, lites de imperantium iuri-
bus et controuerssiis mutuis feruent: certe aliquis
declamator imberbis surget, sententiam non in-
terrogatus pronunciabit, auctor suasorque pa-
cis ineundae, aut belli suscipiendi exsistet, he-
roestrogatos et sagatos in ius vocabit et dictato-
ria

ria auctoritate successiones et caussas principum dirimet. Nec facile aliquis nouator in philosophia et aliis disciplinis dogma ante inauditum proponet, quin hinc illinc in scholis hostes in se concitaturus sit, mordacissimis illorum declamatiunculis excipiendus. Nisi veterum sophistarum artificia, loci topicī rhetorū, ars magna combinatoria et *lulliana* et plures huiusmodi ineptiae notissimae essent; possemus per singula momenta eundo illis quae diximus fidem facere. Sed quantum hos febriculofos homines ratio fugiat, dum volunt cum ratione insanire, oculatior quisque facile deprehendit. Multiplex vero detrimentum inde capit iuuentus, quae misera in hos duces incidit, siue magistri hanc eruditio nis farraginem et syluam conquirant ad onerandam puerorum memoriam, siue ipsi adolescentes haec monstra pariant. Nam cum omnis illorum cogitatio ad materiam abripitur, de elocutione, de verbis, de stilo, de numero oratorio, de elegantiis minus cogitant: nil ex proprio ingenio, harum rerum vacuo, proferunt, sed per bibliothecas cursitare, collectanea sollicitare, polyantheas compilare, aliena corraderē, scriptoribus sua suffurari, centones consuere, et alienis pen-nis, ut graculus in fabtla, superbire discunt: ipsarum etiam rerum, quod peius est, confusas imagines sibi formant, et cum multa in auctoribus, quos excutiunt, nec recte intelligunt, nec intellecta digerunt, grauissimos errores imbibunt.

N

Obscu-

Obscuram praeterea, hiulcam, frigidam et inaniter tumentem dictiōnēm contrahunt ieuniū hī declamatores ignorantiam rerum verborum am pullis compensaturi, qua re loquaces, vanilo qui, garruli, blaterones, locutuleii et quiduis potius quam eloquentes, quam facundi, quam oratores euadunt. Nasuti etiam fiunt et gnauiter impudentes: arrogantia enim et temerariaudacia illi aetati familiaris egregie excitat bitur et mira accessionum incrementa capiet his magnificis nugis, et adolescentulus talia ausus, nescio quid protinus factus, et quod eruditio nis fastigium consecutus sibi videbitur, vnde humana quaevis alto et censorio supercilio despiciet. Auditores denique, si quos forte incautos attraxerunt, ut coruos hiantes eos deludunt, indignatione quam gratia digniores dum nec erudiendo nec delectando ipsorum exspectationem implent.

Verum non his solum *thrasonibus* rhetorici s dies dicendus est, vix enim excusatius peccant, qui ad alterum extremum delapsi argumenta inutilia, subtiliora nec umquam profutura, hoc est grandes minutias sermonibus publicis concelebrant. Hi cum superioribus in eo conueniunt, quod oratoriae suae nimis confisi quidlibet aliis persuadere et imponere posse credunt, et nihil tam certum arbitrantur, quod non in utramque partem confirmare et conuellere, nihil etiam tam vile et abiectum, quod non exornare, colorare et euhere posse sperent. In eo vero ab illis

illis discedunt, quod laureolam in mustaceo
quaerunt, et vel v lulam, asinum, bufonem,
diabolum, neminem, famem, febrem et desi-
diam, aut si quid huius furfaris abiecius exco-
gitari possit, magnifice laudant, vel subtilitates,
spinias, tricasque philosophicas et criticas, ar-
gute differunt, oratione ad utilitatem minus quam
ostentacionem composita. Scilicet his praeclara-
res est, vniuerso generi humano contradicere,
incredibiles nouitates proferre, verborum am-
biguitate ludere et per infinitas circuitiones ad
inanem aliquod nihil deuenire, in scirpo nodos
quaerere, difficiles nugas et antiquas nenias ma-
gno molimine agere. Et hic tamen morbus longe
lateque grassatus, incommoda multa in scholas
et rem omnem litterarum inuexit. Adolescen-
tes enim dicturi de rebus levissimis et nullius
momenti, sesquipedalia verba et inanes tumo-
tes sectantur, res in vulgus notas, innumeris
auctorum testimonii stipatas cumulant, aut in-
geniosius et subtilius disputant, quam ut ipsi se
intelligant. Deberet in scholis iuuentus non
vmbrae sed vitae praeparari, non tam ad scienc-
tiam, quam ad sapientiam et prudentiam formari,
ut iustum rebus stariere pretium et ex aequo
omnia contemplari disceret, cui, si quid aliud,
solemnis haec nugandi consuetudo aperte re-
pugnat. Nec tandem artium disciplinarumque
diuortia norunt, qui pro rostris philosopha-
tur, et in grammaticorum aut rhetorum scho-

lis disputant. Habent singulae artes sua confinia, suos limites, quos conuellere et lapidibus motis turbare nefas est.

Cuius etiam vitii accusandi sunt, qui ex ludo litterario scenam et theatrum parant, et iuuenes personatos in orchestram prodire, mordaci et ridiculo sermone alios carpere, aut in se inuicem debacchari, si cōsideros furores furere, et verbo belle ineptire iubent. Vnde incredibilis animorum labes enascitur. Comica enim et theatalis cogitandi, loquendi vel agendi ratio in forum, suggestum, cathedram, vitam denique ipsam communem transducitur, et vbi cunque hi homines pedem ponunt, foccis et cothurnis incedere somniant, numquam rem, sed semper personam aliquam acturi. Naturalis etiam verecundia et modestia tenerae aetati propria expellitur et petulans impudentia confirmatur, vbi aliquis adolescentis eiurato iudicio imaginationi se totum reliquit. Non potest quidem omnis fictio ex scholis exsulare; poetis tamen potius quam oratoribus, et horum priuatis exercitiis et recitationibus rectius, quam publicis et solemnioribus actibus permittitur.

Sed ne omnem declamatoribus materiam dicens eripere velle videamus, ad amoliendam hanc suspicionem inuidiosam, qualia debeat esse themata harum orationum paucis explicabimus. Quare subductis illarum rerum rationibus aut toti fallimur, aut themata feligenda sunt, primum faci-

factia et ad vires, eruditionem atque ingenium
 declamatorum accommodata, illis nec inferiora,
 vt habeant in quo se exerceant, et dexteritatem
 pericitentur, nec tamen etiam superiora, vt
 propria meditatione omnia digerere, ordine na-
 turali disponere, verbis et locutionibus conue-
 nientissimis explicare atque ornare, et auditio-
 ribus persuadere possint, vt perspicuitas sermoni
 concilietur, quae sine claris et distinctis cogita-
 tionibus esse nequit, vt tempori demum parca-
 tur et exercitatio omnem ad quem directa est
 finem obtineat. Praeterea themata deligantur
 vtilia, quae neque elaborasse declamatorem, ne-
 que audiuisse praesentes vñquam poeniteat: qui-
 bus vel aliqua memorabilis historia pragmaticice
 exponatur, vel disciplinae alicuius pars quaedam
 penitiori scientia digna illustretur, vel res alia
 quaevis scitu factuque necessaria in animos insi-
 nuerit. Vnde patet et ciuilem et sacram et
 litterariam historiam abundantissime sufficere ex-
 exempla, locos communes et themata orationum,
 in quibus nec vtilitatis nec delectationis quid-
 quam desiderabitur. Ipsa dein naturae et re-
 rum quotidie obuiarum contemplatio neminem
 destituet materiam dicendi cogitantem: et haec
 quidem themata eo praestantiora sunt, quod
 quo propius ars ad naturam accedit, eo maio-
 rem gratiam habet. Morum etiam doctrina,
 hominum officia, virtutes et vitia vel pueris
 non ignota campum spatioſſimum aperiunt in

quo declamator cum fructu decurrere possit.

Theologia denique seu sanctior doctrina, quae primum commemoranda fuisset, tanta materiae copia abundat, ut inde non sine arte et delectatione declamationum argumenta depromere licet, quibus et dignitate et utilitate alia vlla praestare fortiter negamus. Felicius profecto ageretur cum inuentute scholastica, si quavis occasione data sacratissimis nostrae religionis mysteriis initaretur, ne piae litteris profanis sacræ sorderent, aut vilescerent umquam. Cum faltorum multorumque deorum cultores pudendarum suarum diuinatum non puduit, quas panegyricis sermonibus studiosissime condecorant; et grauissimi viri regum principumque suorum laudes adeo efferre non erubescunt, ut fideli suspicionem faciant: cur nos quæso venerabilis nostri DEI ipsiusque laudum puderet? Digna utique sunt beneficia, quibus indulgentissimum NVMEN de nobis immortaliter meritum est, ut nulla aetas de illis conticescat, eorumque grata celebratione non tempora solum sed ludi etiam resonent. Sint haec vulgaria, habeantur leuiora et minoris aestimentur a profanis hominibus: non tamen erit, cur ex hac parte circumueniri nos patiamur, rectius quippe edicti, quantum praestent aeterna caducis, diuina humana.

manis. Nec vtilitas maior aliunde exspectanda est, vt quae ab his argumentis ad ipsam aeternitatem transit, cui toti viuimus. Quamobrem nemo nobis vitio vertet, quod in his tabulis sacra themata declamationum proponenda duximus. Etenim temporis ratio et laudabilis scho-
lae nostrae consuetudo postulat, vt exacto semestri hiberno publica lustratione ex speciminibus singularum classium, industriae et profectuum ra-
tio illis, quorum haec scire interest, constet,
et academiae candidati, quos iam ultra XXX
vel studiorum conditio, vel aetas prouectior,
vel parentum iussa, vel aliae rationes hinc au-
cant, manumittantur. Inter hos VIII alumni
classis primae publice scholam valere iubebunt.
Ex ordine vero selecto, qui die *II aprilis*, ante
meridiem examen subibit, ad academiam transi-
bunt V ingenui et bonae spei iuuenes ultimos
simul sermones habituri, IOANNES MICHAEL
LEVINVS WETZEL, *onoldinus*, qui VII. annos in
disciplina nostra, vnum vero et VI. menses in
classe selecta eximio conatu transegit, MATTHIAS
CHRISTOPHORVS MITTELSTEDT, *frisacco meso-*
marchicus, excitatoris ingenii adolescens,
GOTTLOB ERNESTVS MÜLLER, *balensis*, et ERNE-
STVS GOTTHOLD STRVVE, *primislauiensis*, labo-
riosissimi adolescentes, qui III annum singuli in
hac classe consumserunt suis partibus gnauiter
functi, et ADAM GOTTLIEB NEVBAVER,

N 4

ba-

balensis qui VI menses in illo stadio diligenter decurrit. Quibus hanc mutationem gratulati, felicem et faustam emigrationem ac beneficiorum perpetuitatem et quotidiana incrementa a DEO, rerum nostrarum arbitro omnisque felicitatis statore precamur, ut spei quam de se excitarunt, abunde satisfaciant.



PRO-

PROGRAMMA SCHOLASTICVM V. 261

PROGRAMMA
DE
VTILITATE EX PIETATE IN
LITTERAS REDVNDANTE
AD
EXAMEN SOLEMNE
SCHOLAE LATINAЕ
IN ORPHANOTROPHEO GLAVCHENSI
D. VIII. ET VIII. OCTOB. ANNI CIO IO CC XXXI.

Insedit in multorum animis, atque inueterauit proh dolor! opinio, veram in DEVm optimum maximum pietatem litterarum cultoribus minus conuenire, iisque studiorum impedimenta ponere. Qua sententia dubito, an alia vñquam fuerit, et a vero remotior: et ipsis litteris periculosior, licet specie veri et rationibus ad circumueniendum callide excogitatis non careat; nec proletarios tantum et capite censos, sed classicos et primi ordinis in ciuitate litteraria viros patronos habeat, qui vel pietatem penitus ignorant, vel ab eruditione et sapientia vera longe absunt, vel ut prudenter agere et per officiorum ratios bonam mentem negligere, aut certe excusatius illam pessundare videantur, in hanc opinionem animis pedibusque transeunt, illamque vi-

N s

uen-

uendo confirmant. Adeo a felicitate nostra et ipso DEO, naturae prauitatem abhorremus homines, vt eius longissimo diuortio miseri delectemur, et hanc alienationem ineuitabilem et necessariam fingere, quam detestari et effugere malimus. Cui malo, quod nobiscum nascitur, in scholis alitur, in academiis inualescit, et per omnem denique vitam cum incredibili ipsius eruditionis et aeternae felicitatis iactura grassatur, vt medicina paretur, bonus quisque elaborat. Nos, vt innocentior saltem iuuentus, quae in scholis ad utilitatem publicam adolescit, rectiora edoceatur, contrarium iam demonstratum ibimus, pietatem litteris prodesse magis quam obesse, et ex ea neglecta eruditionem innumera detimenta capere.

Ante vero quam hoc fiat, ipsius pietatis explicatione opus erit, ne omnia ea, quae homines vel per ignorantiam vel inuidiam splendido hoc nomine insigniunt, intelligere existimemur. Neque enim anii superstitio, ad conceptas formulas, inanes ritus et caerimonias solemnies obseruandas comparata: neque infucata vultus, sermonis, vitaeque ratio, aut superciliosa et severior morositas: neque civilis morum honestas, temperantia et modestia ad humanas aequi bonique leges composita: nec benignior in alios humanitas: nec demum reuerentia et naturalis amor in parentes et superiores, quam ROMANI olim pietatem vocarunt, aut si quid aliud ex natura

natura corrupta proficiuntur, pietas est. Sed ea animi diuinitus emendati et caelesti luce ac virtute iniciati integritas, qua homo cum DEO per CHRISTVM intime coniunctus, nuntio omnibus rebus aliis missio, totus ab illo pendet, et omni studio viriumque contentione id vnicice agit, vt ipsi placeat, ex eius voluntate viuat, ac familiarius cum eo coalescat, ipsoque tandem aeternum fruatur. Hanc pietatem nemo hominum a natura habet: haec sola sibi semper et vbiuis constat: haec non temporis, studiorum, viriumque partem quandam aut hominem dimidiatum, sed totum, quantus est, sibi vindicat, quem ita immutat, vt alius plane fiat, quam natura ipsum formauerat: haec non virtus est, sed omnium omnino virtutum complexus fundamentum et radix est: ad hanc aditus nemini, ne infantibus quidem et pueris praeclusus est, nullus tamen homo eam sic consequitur, vt vteriorum progressum locus non sit: huius nobis perfectissimum exemplum CHRISTVS praeiuit, dum mortalitate indutus in terris ageret. Quicquid hanc imaginem non refert, quam venustum, pulchrum et amabile videatur, meretricium est, pietatis nomen mentitur, et ab illa tantum differt, quantum falsum a vero, terra a caelo, umbra a corpore.

Ex hac igitur pietate, quae et quanta in litteras redundet utilitas, iam disputabimus. Varia illa et multiplex est, potest tamen commode ad ali-

aliquot potiora capita reuocari, quae ordinis
caussa sigillatim lustrabimus. *Primum* in eo de
litteris praecclare meretur pietas, quod
in illarum cultoribus ignauiam pellit, et calcar
ipſis ac stimulum addit fortissimum. Multa fa-
stidia deuoranda, innumerae molestiae, fudo-
res et calamitates superandae, et incredibilis
labores exantlandi sunt ab illis, qui litteris ope-
rantur, et ad solidae eruditionis decus adſpi-
rant, quibus profecto segniter, remissius et ne-
gligenter agere, cuticulam curare, otio difflu-
re, ſibique indulgere non licet. Quamobrem
veterus excutiendus, animus, ne torpore vni-
quam langueat quotidie excitandus eſt, in pri-
mis si naturae tarditate et stupore laborat, aut ad
ſocordiam et leuitatem propendet, faces admo-
uendae ſunt et studiorum incitamenta, quae aliunde
quam a pietate rectius et felicius non petun-
tur. Tantum enim neque ambitionis valet glo-
riae et aemulationis cupido, nec lucri et diuiri-
rum dira fames, nec voluptatis ex litteris perce-
ptae recordatio, quantum haec vniqa bona mentis
integritas: quae vel horam, ne dum diem
aut longius tempus otioſe transfigere, ſibi viuere,
et occasionem bene agendi negligere nefas ducit:
quae DEVm obſeruatorem studiorum ſuorum,
censorem et monitorem praefentem habet: quae
vltimam horam instare et rationes temporum,
virium, ſumtuum totiusque vitae, in decretorio
die postulatum et subductum iri intelligit: quae
omnem

omnem aeternitatem, ad quam creati sumus et viuimus a breuissima vita bene maleue, studiose negligenterue transacta pendere cogitat: quae DEO consecrata eiusque innumeris beneficiis deuincta indefesse elaborat de gratiis ei vel ipso sanguine habendis: quae, vt verbo dicam, DEI caussa litteras tractat, et flagrantissimo ipsius amore tota consumitur. Fortior est hic castae mentis ad studia impetus, constantior et generosior, quam qui a gloria aliisque illecebris humanis est: numquam enim spe et fine suo excidit, numquam turbatur et a se distrahitur, sed continuus et perpetuus est, ac eundo vires acquirit.

Secunda utilitas, quam litterae pietati debent, in eo consistit, vt animum serenum, tranquillum, alacrem, a curis, commotionum et cupiditatum turbis vacuum reddat. Quae mentis fedatae tranquillitas dici non potest quantum iuuet ad litterarum studia, sicut turbatior et fluctuans animus ingenii vires obtundit, frangit, debilitat. Hanc vero mentis tranquillitatem et omnium curarum, cupidinumque missionem sola pietas efficacissime imperat. Nam DEVUM sibi conciliatum et propitium habere, apud illum gratia valere, ipsi omnes vitae studiorumque rationes probare, de ipsius paterno fauore et prouida cura certissimum esse, ea demum vera animi tranquillitas est, quae homini formidine, curis et cupiditatibus interdicit. Atque haec sui neglectionem acerbe vindicat. Felicius fane litterae

terae his nostris temporibus florerent: nisi qui illis se addixerunt, felicitatis et suae et aliorum oblii, priuata commoda, pro suae quisque pensionis intemperantia sectarentur, curis et sollicitudinibus exederentur, affectuum fluctibus circumagerentur, ad mutuas digladiationes, aut illiberalia mancipiorum et parasitorum seruitia et texcenta mala abriperentur. Et bone DEVS quam misere is in litteris verfabitur, qui vel maiorum conscientia et futuratum rerum, sane quam formidolosissimarum, terroribus angitur, vel ira vehementiori aestuat, vel tristitia grauiori deprimitur, vel lasciuia libidine vritur, vel plurium cupiditatum furiis simul exagitatur. Viliora opificia et sellulariae artes, quae corpus potissimum requirunt, forte peragi possunt animo perturbato et a laboribus distracto, litterarum certe studia sic tractari non possunt, ut quae omnes animi vires in vnum collectas, bene dispositas et a perturbationibus liberas requirunt.

Tertia pietatis utilitas est, quod frenum iniicit litterarum cultoribus, illosque intra mediocritatis limites continet, ne ad id, quod nimium est in litteris, et a vitio non differt, intemperanter abripiantur. Grauissimus morbus est et eruditioni nocentissimus studiorum praecipitatio, in quam facilime delabuntur, qui vigore et immoderata alacritate abundant, in primis si portentosae polyhistorias pruritu vellicantur.

Hoc

Hoc morbo qui laborant, tumultuarie litteras tractant, per scientias seu earum potius superficies et extremitates peruoant, rudem et indigestam confusae materiae molem corradunt, et dum id operam dant, ut ante maturitatem sapientiam maturent, ad perpetuam immaturitatem properant, atque in omnibus disciplinis multa discunt, nihil autem quod solidum sit, perfectum et suis partibus absolutum. Alii litterarum heluones breui tempore insatiabili voracitate omnem eruditionem deglutire, et litteris se ingurgitare satagunt, dies noctesque insomnes in libris consumunt, fortiter in seipso saeuunt, et non corporis solum, quod studiosissime encant, sed animi etiam robur ita conuellunt, ut post aliquot annorum intemperiem ad incitas redacti, vel omni labore superfedere et valetudinem curare necesse habeant, vel missis plerisque litteris, quas ad futuram obliuionem didicerant, aegre redeant ad sobrietatem. A qua pernicie nemo sibi melius cauet, quam intemeratae pietati deditus, illa enim vna optime prouidet, ne quid detrimenti capiant litterae ex iuuenili et concitatori festinatione. Sicut otiosos stimulat, ita etiam nimis currentes retinet et moderatur, maturae omnia, suo ordine et tempore fieri, corporis rationem haberi, rebus et laboribus singulis limites ponit iubet sapientissime.

Quarto praeterea loco ab opinionibus prae*iudicatis* animum liberat pietas, quae eruditioni lon-

longe sunt perniciosissimae. Homo enim, qui se hominem esse experiundo didicit, et humanae imperfectionis conscientia, nihil humani a se alienum esse nouit, nec se praecipitanter, nec alios, si homines sunt, auctores coeco imperu sequitur, sed omnia legitime examinabit, a partium, sectae et officiorum studio immunis, veritatis vestigia leget, nil odio, inuidia aut amore hominum crebet, sed rem vti est, ex vero, dijudicabit. Parum enim sollicitatur diuina mens aliorum sententiis, externis commodis aut incommodis, et dummodo in sentiendo et agendo veri rectique sibi conscientia sit, in illo trame immota pergit.

Accedit quinta utilitas, quae ex pietate in eruditionem deriuatur, quod et intellectum hominum et voluntatem, cuius magnum est in intellectum imperium emendat, hominem recte sapere ac iustum et aequum rebus pretium statuere docet, qua tamen re nullus vere eruditus carere potest. Etenim si quis vel omnem litterarum farraginem conquisiuitset, linguas omnes calleret, historiarum vicissitudines et nexus in numerato haberet, atque artium, disciplinarum et scientiarum quarumvis ambitum emensus esset, posset is doctus, literatus, polyhistor et multiscius vocari, eruditus vero, sapiens et prudens vocari non posset: nisi animus simul e ruditate naturali vindicaretur, et iudicium hominis subigeretur, ad bona malis, meliora leuioribus,

ne-

necessaria vtilibus et haec gratis et iucundis anteponenda. Et ad veram hanc sapientiam, sine qua ipsa eruditio rudis manet, vnum pietatis iter patet, quae hominem prouidum et oculatorem reddit, vt numquam praesenti rerum grato vel ingrato sensu regatur, sed veri bonique iustum habeat, et omnia ex finibus, eorumque arctissimo vinculo diiudicet, atque illos, quo diuiniores, perenniores et ultimo fini propiores sunt, eo meliores reputet. Eadem et inclinaciones motusque voluntatis ira temperat, vt rerum aestimia non ab his propensionibus, sed haec potius ab illis pendeant, eaque sequantur. Tanta est et tam peruerfa animi naturalis prauitas, vt nisi diuinam emendationem subierit, errore et stultitia vacare nequeat. Actiones enim omnes adeo cohaerent, vt ultimo hominis fine, ad quem nascimur et viuimus omnes, posthbito, nec velimus, neque, etiam si vellemus, possimus bonos nobis fines praefigere, aut accommodatas ad illos consequendos vias ingredi, sed deteriora semper sequamur. Quam ob rem sacrator codex recte timorem domini sapientiae initium praecipit. Illi vero rationes suas male subducunt, qui de sapientia minus quam scientia, et de eruditione prudentiaque letius quam doctrina laborant, vnde euenire solet, vt per omnem vitam insigniter ineptiant, magno conamine magnas saepe nugas agant, grauissimasque curas sic instituant, vt postquam fabula acta est et

O

per-

persona ipsis detrahitur, consiliorum suorum, serius tamen quam par erat, ipsos poeniteat, et vnum hunc laborum fructum habeant, se gnauiiter, cum ratione, aliisque applaudentibus insinuisse, per hominum ora et sermones circumvolitasse, ipsisque vanitatis spectaculum praebuisse. Tantine litteratis constat stultitia? adeo ne ipsis laboriose operandum est ut insipient?

Cum hoc emolumento coniunctissimum est *sex-tum*, ex eodem verae sapientiae studio ortum, quod pietas ad veram et aeternam utilitatem, litterarum usuram concedit. Non scholae et umbras sed vitae et aeternitati discimus, aut discere debemus litteras, magna igitur eruditionis pars est, eruditione recte vti. Quae TANTALI apud poetas fortuna fuit, ut fame sitique consideretur in mediis vndis fructibusque, eadem multorum doctorum conditio est, quibus iratum numen, vna cum casta mente ab ipsis susque deque habita, litterarum, quibus circumfluunt usuram ademit. Nec sibi nec aliis vere prosunt doctrina sua, auaris simillimi, qui opes corradere norunt, illis frui nesciunt. Pietas vero utillem et fructuosam fieri iubet eruditionem, hominem omnibus usurpandum permitit, et facit ut vel mediocriter doctus, modestus, facilis et laboriosus plures fructus ad utilitatem publicam conferat, quam multa inutilia terrae pondera, litteris onusti, earum tamen tenacissimi.

Septi-

Septimum litterarum commodum ex bona mente redundans in eo consistit, ut contra vitia eruditorum visitatissima, optimum sit praesentissimumque remedium. Habent singulae hominum aetates, vitae conditiones, et ordines sua propria vita, adeo familiaria, ut vix ac ne vix quidem nonnulla eorum, omnia vero numquam, homini sibi relieto per naturae corruptionem ad optimarum rerum abusum pronae, evitare liceat. Litteratorum in primis familia tot abundat virtutis domesticis, ut ipsa librorum enumeratio, qui in illis explicandis occupantur, librum faciat. Et quis nisi in litterario orbe penitus hospes, fastum, temeritatem, impudenteriam, sordidem, umbratięam superbiam, circulatorias fraudes, litteraria furtę, digladiationes et alia his gemina mala, quae eruditionem populantur, ignorat. Quorum si quis unum alterumue praeterire conabitur, incidet in aliud, priori forte periculosius. Una tutissima pietatis via per hos scopulos et precipita secure itur. Illa enim ab extremis ad mediocritatem reuocat animum, a ventosa vanitate, rerumque sacrum contemtu, quae alias a litteris diuelli difficulter possunt, conseruat, et contra haec pericula praemunit.

Vtima utilitatis pietatis, quae vel primo loco commemoranda fuisset, ea est, ut vires necessarias diuinitus sufficiat, laborumque felices progressiones atque exitus desideratos impetrat.

O 2

Nam

Nam quotiescumque animus sub onere laborum defatigatus et viribus exhaustus DEV M praesentem supplex veneratur, sancte amplectitur, eiusque consuetudine fruitur, non potest non ex hoc inexhausto fonte vires nouas, nouumque robur consequi, et suspiriis ac deprecationibus in se derinare. Neque illa res alia, infractas et labefactatas vires ita instaurat, instauratas confirmat, confirmatas auget, quam efficacissimus diuini favoris sensus, qui non solum animum recreat et refocillat, sed in ipsum corpus robore influit. Si his secundis ventis vela damus, iisque ferentibus vehimur, nemo potest credere nisi expertus, quantus cursus breui tempore conficiatur. Et sane, aut ipsum arbitrium rerumque humanarum moderamen summi DEI inficiandum est, negandumque omnes rerum evenitus ex ipsis voluntate fieri, aut fatendum est, rectius rebus suis consulere neminem, quam qui de huius summi rectoris et studiorum moderatoris fauore consequendo et conseruando sollicitus est.

Plura supersunt emolumenta, quae ex hoc diuinæ virtutis fonte manant, licet paullo remotius, quorsum e. g. pertinent, quod aliorum et praeceptorum saepe amicitias conciliat, a sumptibus, tempore, viribus inutiliter dilapidandis, et alienis rebus agendis, homini cauet, cetera: verum cum haec leuius momentum trahant, neque tam numero et multitudine, quam pon-

pondere et praeflantia rationum caussa agenda sit, et illa, quae proxime ex pietate fluxerunt, satis abunde fidem fententiae nostrae faciant; diutius huic argumento inhaerere supersedemus, si vnum dumtaxat ex innumeris testem, omni exceptione superiorē produxerimus, diuinum PAVLLVM, qui ἐν τέσει γρauiter edicit πρὸς πάντας ὁ Φελιππον.

I TIMOTH. III.

Reliquum tamen est, ut maleferiatorum hominum officias examinemus, et obiectionibus eorumdem obuiam eamus: a quibus tamen, si serio res agitur, non erit, quod caussae nostrae multum timeamus. Una illarum, eaque grauissima est, multam iacturam temporis fieri per pietatis exercitia, preces cetera, quod longe felicius ad studia insumi posset. Tria vero sunt, quibus hic fumus dispelli potest, si primum dicamus, longe plus temporis ab aliis, qui nihilo secius magna doctrinae gloria turgent, inutiliter consumi ad explendas cupiditates, et vana illa studia tractanda, quae, ut numquam profutura, fastidit animus DEO sacratus. Certum deinde est et exploratum, ad recreationem et instaurationem virium vicissitudine quadam opus esse, quam felicissime his diuinis interstitiis parari demonstrauimus. Nemo tandem dubitabit, quin haec temporis iactura, si iactura dicensa est, quod DEO deuouetur, felicissime compensari possit numinis favore.

Prouocant etiam profani homines ad innumera exempla castarum mentium, quae in litterarum studiis rudes et a doctrina alienissimae manferunt, et in quibus haec pietatis utilitas minus se probatir. Qua fallacia, ut in scholis loquimur, caussae non caussae, satis callidas fraudes neclunt, solutu tamen non admodum difficiles. Non enim sola pietas ad eruditioñem sufficit, quod nemini vñquam, ne febricitanti quidem in mentem venit. Plura sane, ingenium natura non ineptum, bona institutio, discendi ardor, et diligens cultura ad illam requiruntur; id tamen non efficient hi nequitiae patroni, bonam mentem in caussa fuisse, cui, quod aliunde accidit, perperam et iniuriose tribuitur. Potest etiam hoc telum ita retorqueri, ut verius adfirmemus longe plures profligatis moribus, flagitiis, cupiditatibus et ipsa improbitate a doctrina impediri.

Aliud praesidium contrariae sententiae in eo queritur, quod multi impii, ab hac saltē diuina virtute alienissimi homines, eruditione claruerunt. Verum licet liberalius hoc ipsis concedamus, omni tamen adseueratione affirmamus, longe eruditiores et sapientiores illos futuros fuisse, accedente pietate, et longe maiorem in ipsis aliosque redundaturam fuisse utilitatem.

Adduae pietatis contemtores, per sacras tabulas omnia abneganda, ipsam eruditioñem et sapientiam flocci pendendam esse. Quod vere qui-

quidem, sed inuidiose tamen, vafre, et mali-
tiose dicunt. Nam et ea sapientia, quae con-
temni debet, iejuna, imaginaria, fictitia, nulla
est, et ipsas litteras abnegare, est minoris illas
facere quam diuinam et aeternam sapientiam,
iisque non ad fastum et ultra limites, sed mo-
deste, suo loco, suaque opportunitate vti. Quem-
admodum, si ipsam vitam abnegare et odisse
iubemur, nemo sanus id de interfectione sui et
ipsius vitae contentione interpretabitur, eadem
ratione eruditionem abnegando eruditii euadi-
mus.

Nec desunt qui litteratorum sortem conque-
runtur et insuperabiles difficultates obtendunt,
quibus virtutis et bonae mentis studium circum-
septum teneatur, ac si miraculis et prodigiis opus
esset ad illas superandas et haec studia coniun-
genda. Hi tamen non in virtutem, sed litteras
iniurii sunt, quae aeternum auerruncandae es-
sent, si pietatem arcerent, hominesque a felici-
tate sua distraherent. Potest his pudor subfun-
di multis praeclaris exemplis virorum, qui
vtramque prouinciam per se coniunctissimam
studiose ornarunt, et ita litteras tractarunt, vt
pietatis detrimentum nullum, pietatem vero,
vt litterae multa incrementa caperent.

Alii tandem audacter calumniantur, pietatem
barbariem et ignorantiam in orbem inuexisse,
ipsaque leges diuinias velle, vt ratione eiurata,
et posthabita, stulti fiamus. Sed hi maculam,

quam innocentissimis mentibus adspergere student, sibi ipsis injurunt, et vel ignorantiam produnt, dum superstitionem proprietate habent, vel ignoriniosam malitiam declarant, dum obscuratae et febriculose rationis fugam, rectumque et suis limitibus circumscriptum usum tanac rationis, eius ciurationem vocant.

Ex illis quae hactenus disseruimus, satis apparet, et quam male suis partibus satisfaciant paedagogi, qui laboriosissime quidem iuuentutem, suae curae concreditam, ad litteras formant, mentis tamen emendationem prorsus negligunt: et quid caussae sit, cur officii religione teneri nos credamus ad bonae mentis studium in schola nostra sancte vrgendum; quo nobis adeo nihil prius, nihil antiquius est, ut operam et oleum in illis pueris perdidisse putemus, qui ad illam se formari non patiuntur. Caste hoc et intemerata factum esse, vos, in primis testamur, optimi iuuenes, qui iam ex disciplina nostra manumittermini. Et utinam vos omnes huius litterarum et pietatis consortii et conspirationis felicissimae testes ac documenta producere liceret, qui re ipsa comprobarent hanc bonae mentis cum eruditione coniunctionem. Verum, si quid nostra apud vos valet auctoritas, postremum hoc a vobis nos impetrare finite, aut a vobismet ipsis hoc impetrare, ut intemeratae pietatis studium indefesse fuscipiatis, et hunc tramitem, quem toties totiesque vobis praeceperimus, ingressi,

gressi, ab eo vñquam recedere, nefas habeatis neque cum casta mente pariter ac cum schola, bonae mentis sede, diuortium fecisse arbitremini. Ita DEVS profectionem vestram fortunabit, ita felicissime pericula academica praeteribit, nostramque de vobis exspeciationem non frustabimini.

Vos vero studiorum nostrorum patronos et fautores, qui nobis bene cupere nouis quotidie voluntatis vestrae significationibus declaratis, obseruanter et officiose rogamus, vt si per graviora negotia fieri potest, lustrationem iuuentutis nostrae solemniorem, vestra præsentia condecoratis, et tam declamationibus, quam examini linguis auribusque faueatis, nec tempus male locasse existimetis, quod ad iuuentutem vestro fauore iusflammandam impenditis. Posteriori lustrationis die, VI ordinis selecti ciues laboribus scholasticis bene defuncti ultimos sermones habebunt CHRISTIAN. GOTTLÖB HEERMANN.

IO. KAGEL, et CHRISTIAN FRIDERICVS SCHMERWITZ, quorum primus quinque et dimidium, secundus quinque, tertius septem annos in disciplina nostra, singuli vero integrum annum in hac suprema classe obsequentissime et diligenter transegerunt. (a) MICHAEL FRIDERIC. VNRVHE, (b) IOH. GEORG. BVCHOLZ, et HEN-

O 5

RIC.

(a) Collega paedagogii, quod in coenobio bergenſe prope MAGDEBURGVM floret. (b) BEROLINI conſiliarius aulicus et cauſarum capitalium,

PROGRAMMA

RIC. CHRISTIAN. HOLLÄENDER, qui VI menses
in hoc ordine honeste et laudabiliter consumse-
runt, vltimus II et sesqui annum, reliqui duo
biennium in hac schola fuerunt bonaे mentis
et litterarum elegantiorum studiosissimi. Faxit
DEVS O. M. vt bonis omnibus cumulati singuli
et publicae felicitati diu intersint.



PRO-

PROGRAMMA

DE

CORPORIS MOTV ATQVE EXERCITATIONE LITTE- RATIS NECESSARIA

AD

EXAMEN SOLEMNE

SCHOLAE LATINAЕ

IN ORPHANOTROPHEO GLAVCHENSI

PRID. CAL. ET IPSIS CAL. APRIL. ANNI CLO IO CCXXXII.

Corporis non minus quam animi rationem habendam esse ab eruditis, verae felicitatis cupidis, et vnum, quod ad illam patet, sapientiae iter ingressis, neminem fore arbitror qui dubitet: si cogitauerit litteratos non desisse homines esse corpore et anima compositos, eamque ob causam nec posse felicitatis compotes ante reputari, quam ex utraque hac sui parte sint felices. Nisi enim aliquis se hominem, seu spiritum corpore indutum esse ignorat, aut satis febriculose in EPICVRI inter mundiis inter umbras et larvas corpore destitutas versari somniat, aut si maiis id sibi videtur consecutus, vt per mortem philosophicam totus mens factus sit, experiundo intelligit miseram esse sortem suam, neque omnibus numeris absolu-

solutam felicitatem, quam diu corpore, hoc est dimidiis aegre laborat. Quare in ipsam humitatem, et, quod maximum nefas est, DEVUM conditorem iniurii sunt, et fine, ad quem creati sunt excidunt, qui infelici ac nefario diuortio animum a corpore separant, quae DEVS voluit esse conjunctissima, licet irrito satis et longe vanissimo conamine. Arctius enim vinculum est, quo animus cum corpore cohaeret, quam ut ille recte excoli et perpoliri aut bene se habere possit, hoc penitus neglecto et male disposito. Quam diu hoc corporis domicilium inhabitamus, non potest animus tanta intercapedine a corpore distracti, hoc est homo a se ipso, ut incommoditates, dolores et tormenta eius non sentiat, illisque a meditationibus numquam impediatur, aut sine cerebro cogiter. Et quem tandem in alium in finem animus eruditur, ac tot scientiarum opes corraduntur, quam ut ad usum conferantur et in hoc terrarum orbe bene locentur, quod tamen, ni torus fallor, sine corpore non fieri. Mout hoc PLATONEM in corpus, illum animae carcerem, alias iniquiorem, ut suis auctor grauissimus fieret, ne corpus exercerent sine animo, neque animum sine corpore.

Sane quam praeclare cum genere humano ageretur, si nulli sapientum nomen gererent, quam qui vere sapiunt: verum plerique, qui ultra vulgus sapere videntur et suae famae satis securi sunt, in hoc genere admodum inepte sapiunt,

vt

vt memoriam litteris et imaginibus, caput fumo,
corpus morbis conficere, quam animum ad re-
ctum veri et falsi, boni malique sensum et cor-
pus ad sanizatem componere malint. Nihil ex-
cogitari potest ineptius his hominibus, qui sex-
centas philosophorum et metaphysicorum sub-
tilissimas controversias rimantur, astronomorum
itinera, planetarum orbitas et dimensiones per-
currunt, antiquitatis exesa monumenta eruunt
et in his mirum quantum a se remotis rebus, ne-
que vñquam forte profuturis, vitam consumunt,
sui ipsorum oblii, corporis valetudinisque in-
curii, ec eorum quae ad se maxime pertinent
adeo ignari, vt nihil supra. Sed satis graues
huius infaniae poenas dant, cum diuina vindicta
non solum sanam mentem ipsis ademit, sed sui
ipsorum etiam carnifices et tortores constituit.
Vnde laboriosissimi sunt, et incredibilem indu-
striam ponunt in se ipsis cruciandis et enecan-
dis. Quotus enim quisque est ex hac febricu-
losorum hominum turba, qui non a serena mente
ad obscuritatem et caliginem, ab humanitate ad
atram bilem transductus sanis hominibus, licet
litteras nulli didicerint, risum et stomachum
moueat? Qui non ad molestissimam austерitatem
et supercilium et omnes mores ita componat, vt
sibi aliquis grauis fiat et intolerabilis? Hi vñ-
bratici homines aut hominum terriculamenta
verbo laeduntur, ex quauis re lites necunt,
quidvis fastidiunt et non solum in angusto capi-
tulo

tulo grauissimas turbas fouent, sed cum toto humano genere aut omni potius rerum vniuersitate, adeoque secum ipsis bella gerunt funestissima, ut a delirio et furore proxime absint. Alii acutissimis doloribus, arthritide, calculo, aliisque equuleis exquisite cruciantur, quae pestes magnam litteratorum miseriae partem faciunt.

Conclamandum igitur esset de eruditione, ea que penitus eiuranda et ex hominum societate auerruncanda, si ineuitabilis esset haec fortuna. Verum salua res est. Possunt eruditii haec mala omnia praeterire, si se ipsos cognoscere, quam per alia omnia vagari malunt, et ad sui cogitationem conuersi, corpori curando vel tantillum tempus impendere, quantum inutiles quaedam disciplinae absumunt. Quae tamen ad desidiam effeminatam quorumdam mollitatem colorandam aut excusandam dicta putari, aut ita intelligi nolim, ac si litterati homines cuticulam curare, gulæ indulgere, et voluptatibus circumfluere iuberentur. Ab illa *charybde* non magis quam ab hac *scylla* sibi cauere debent litterarum cultores, et media via sobriae et temperantis diaetae ad felicitatem transfire.

Longius iter esset, si per singulas huius diaetae partes eundo, ea omnia commemorare vellemus, quae de temperantia, animi tranquillitate, quietis laborisque vicissitudinibus aequatis, potus leuioris abundantia, ceteris dici possent et a sapientia-

tissimis viris dicta sunt. Quam ob rem motum dumtaxat corporis voluntarium, exercitationem et laborem, horum malorum medicinam vnam omnium praesentissimam litteratis commendabimus: qui a plerisque quidem negligitur cum magna valetudinis et sanae mentis iactura, in hac tamen causa maximum momentum trahit. Erit illius ante omnia *necessitas* demonstranda, et a quorundam contentionibus vindicanda, post etiam *ratio* explicanda et modus breuissime praecipiendo.

Atque ut inde demonstrationis initium proficiatur, vnde maximum caussae praesidium est: illae rationes reliquarum agmen ducant, quae ex rei natura et corporis constitutione, seu, ut philosophi loquuntur, *a priori* desumuntur. Quod, aut plane fallimur, aut ita demum legitimate fieri, si praemonuerimus, illum nobis hominem sanum esse, cuius corpus partium solidarum et fluidarum proportionatam quantitatem, legitimam qualitatem et debitos motus vitales habet, ad commercium animi cum corpore conservandum, ut anima a corpore in operationibus suis non impediatur, sed hoc illi ad peragenda sua negotia ex fine creatoris inseruiat. Quicquid ad morbos pertinet, et huic sanitati contrarium est, vel ex materiae nimia abundantia, aut peccante qualitate prouenit, vel ex motu interno illegitimo. Iam ex hac descriptio-

ne

ne sanitatis motum corporis externum necessarium esse sic argumentamur.

Primo, quia partium solidarum motum tonicum, seu fibrarum omnium expansionem elasticam et vibratoriam ac legitimam constrictio-
num et relaxationum reciprocationem conser-
uat, qua ad ipsum sanguinis circuitum eiusque
digestionem, calorem et secretionem, atque ad
externam sensationem carere non possumus: re-
missior fit et languidior hic tonus cum incredi-
bili negotii vitalis detimento; nisi per voluntarium et animalem motum excitatur, stimula-
tur et augetur.

Secundo loco ab exercitio corporis partium fluidarum legitima constitutio pendet: ut quo sanguinis a corde per arterias in omnia membra profluentis et per venas inde ad cor redeuntis circuitus promouetur, et concitatior redditur, ut non solum per subtilissimos meatus protrudatur et nullibi *sanguinem* faciat, sed felicius etiam et expeditius progrederiatur. Nam cum in agitatione membrorum maior per musculos impetus, fortiorque illorum compressio mutua sit: non potest non sanguis fortius exprimi, citerius in vasa sua colligi, et ad progressionem propelli, quae circulatio si deficit sanguis putredine afficitur, respiratio cessat, et ipsa vita extinguitur. Eodem deinde corporis motu *quantitas* nimia *sanguinis* minuitur. Licet enim non desint qui hoc balsanum vitae nimium corpori inesse posse

posse negant: experientia tamen satis comprobatur, ipsam sanguinis copiam abundantiorum morbum esse et matrem multorum morborum foecundissimam. A qua felicius caueri non potest, quam frequentiore corporis motu. Nam intra laborandum transpiratio et insensibilis, et sensibilis nonnumquam per sudorem multum augetur, quae decessio omnis a sanguine fit, ex quo reliqui humores secernuntur.

Motu praeterea corporis, *qualitas sanguinis* emendatior conseruatur, ne crassior factus corrumpatur. Constat enim tot paribus heterogenis et a se alienissimis, ad tot diuersissimos fines etiam destinatis, ut vnam massam constitueret et in mixtione debita conseruari non possent: nisi motus continuus circulatorius id efficeret, augendus per externum motum et secretio humorum reliquorum non accederet. Numquam aer per pulmones intromissus cum sanguine misceretur, chylus et lympha cum eodem coirent, grauiores particulae in leuiori sero natarent: nisi sanguis motu continuo agitaretur.

Reliqui tandem humores omnes correddiores erunt. Quo melius enim sanguis per corpus distribuitur et per tot diuersissime comparatas glandulas percolatur: eo feliciter ubique separantur particulae quibus carere potest, et quae vel ad alios fines necessariae sunt, vel ut superfluae et sine suo iam iam functae ex corpore remouentur.

P

Succe-

Succedant iam alia argumenta *a posteriori*, ut aiunt, desumpta quae ad plurium forte intelligentiam pertinebunt: cum illa priora cognitionem hominis physicam requirunt. In his primum locum iure occupat diuinum oraculum, quo DEVS hominum stator et arbiter laborem corporis omnibus preecepit panemque in sudore facies comedendum edixit GENES. III, 19. Egit sapiensissimus DEVS in hac sententia pronuntianda non magis iudicis aequissimi, quam benignissimi patris et medici partes: dum eam homini poenam infligendam decreuit, quae ad corruptum hominis statum esset accommodatissima, et medicinae simul locum sustineret.

Sequitur experientia innumeris in vtramque partem exemplis comprobans hanc exercitacionem necessitatem. Ecquis enim fabrorum, rusticorum, hominumque ad operas agrestes factorum, illis morbis conficitur, quibus eruditii alii que homines sedentarii misere vexantur. Quam rara sunt et inaudita inter illos homines vel ipsa plerorumque morborum nomina, quibus diutum, litteratorum et otiosorum hominum aedes personant. Quam robusti sunt ad aeris, cibi potusue et rerum omnium externalium vicissitudines atque incommoda aequa perferenda. Et bone DEVS! quam contra debilis est, languens trepidans et infirma litteratorum familia, ut vix homines crederes, quam pallidae facies, quam difficultis respiratio, quam incuruata et de-
pres-

pressior statura, quanta ciborum inedia et indigē-
stio, quae cum malis pluribus ex hac corporis
mouendi neglectione enascuntur.

Ipsa natura, quam quo quis proprius sequitur
eo sapientior est, huius rei exemplum nobis
pраeit in tenera infantum aetate, quae a rationis
vſu longe abest, atque internis instinctibus et
sensibus tota regitur, et ipsis animantium catu-
lis, vbi omnia ad motum, tripudia, cursus,
vitulantiumque saltationes composita sunt, qui-
bus si pueri interdicuntur, viribus franguntur,
et ab alacritate et ipso corporis incremento im-
pediuntur.

Testimoniis quae antiquissimorum pariter
quam recentiorum auctorum grauisissimorum in-
genti numero adduci possent, opus quidem non
est, vbi res ipsae loquuntur. Si quid tamen
exemplorum valet auctoritas, quae profecto non
debet omnino nulla esse: agite, intueamnr *py-*
thagoreos, cordatissimos mortales, de quorum
moribus apud STANLEIVM, SCHEFFERV M alios-
que ex IAMBILICO potissimum relatim legitimus;
eos quotidie aliquot horas corporis exercitatio-
nibus insumfisse, neque utinam a studiis ad ci-
bum, aut a cibo ad studia transiisse, sed
interualla obambulationis, cursus, luctae
aliorumque exercitiorum sancte obserua-
se. Quae externa *ασυητος* cum incredibili

ciborum abstinentia et adfectuum temperantia coniuncta non potuit non ipsis robur et sanam mentem conciliare. Idem de PERSARVM et GRAECORVM antiquorum moribus perhibent scriptores illorum temporum, qui iuuentutem studiis consecratam in palaestra et multo puluere ita exercuerunt, ut ab hac artium *gymnasticarum* cum ipsis litterarum studiis coniunctione, ad scholas et litterarum ludos nomen *gymnasio-*rum transiret: qua in re ROMANOS habuerunt imitatores.

Verendum est ne quis existimet, nimis multa de re euidentissima disputari. Sed cum nihil dicatur adeo certum et euidens, quod non, his maxime contentiosissimis temporibus in veri certique suspicionem adducatur, et argumentationibus conuellatur: nemini cauillam nostram bene egisse videbimus prius, quam obiectiones refutauerimus, quibus hanc sententiam dubiam facere satagunt viri grauissimi; dum non sine contentione opinantur, tempus perdi a studiis vacuum, quod si vel omne bene locaretur, vix ac ne vix quidem ad eruditionem sufficeret, artem longam esse, vitam breuem, illam potissimum aeratatem in scholis et academiis trasigendam arctioribus terminis circumscribi, quam ut cum sumtuuum iactura ad corpus mouendum impendi possit: multam deinde molestiam creare, et valetudini magis obesse hunc motum quam professe, teste multorum experientia, qui ebullientis

vis sanguinis effervescentiam magnamque motuum
internorum intemperiem, immo dolores vehe-
mentiores conqueruntur: occasionem etiam de-
esse ad iuuentutem honeste exercendam, atque
eruditis laborem accommodatum suppeditan-
dum, neque opportunitates locorum et officiorum
quorumuis eiusmodi exercitationes admittere:
nouam praeterea et recens excogitatam esse
quorundam medicorum sententiam, maioribus
plane incognitam, inutilem quoque, dum multa
exempla prostant hominum sine vlo aut cum
admodum exiguo corporis motu bene et recte
se habentium: se denique ipsos *nil incommodi*
percipere ex laborum neglegitu, et si vel maxime
perciperent per negotiorum multitudinem sibi
haec corporis exercitia non licere. Potiora
haec sunt licet forte non omnia, quae ad hanc
motus neglectionem defendendam, aut certe
excusandam, in medium proferuntur, speciosius
ramen quam verius. Nam admodum abunde com-
pensatur illa temporis iactura, alacritatate animi,
qui serenus et excitatus se ipsum mire superat,
et vna hora plus proficit, quam vel decem
aliis, quibus male dispositus obtusus et infra-
etus ad litteras inuita natura cogitur. Neque
vmbrae sed vitae discere debemus, atque non
tam de multifientia in futuram obliuionem cor-
radenda, quam de sapientia et sana mente labo-
randum est, quae per omnem vitam maxime
valet, sine liberali tamen erectoris animi exci-

tatione et sano corpore non obtinetur: longior etiam, molestior et periculosior temporis sumtuum et ipsarum denique litterarum iactura sit, si quis intemperie litterarum morbum contraxit, et lecto adfixus in medicorum disciplinam concedit, difficilius tunc cum multo dispendio eiicitur hostis, qui longe facilis et felicius arceri potuisset. *Secunda obiectio* ex molliore et voluptuoso animo est, visu, labore improbo et ipso exercitio superanda. Solent rerum primordia multis difficultatibus et molestiis circumsepta esse, quae superatae faciliorem progressionem praebent: nec desultorie, aut cum impetu fortiori, unde pleraque illa incommoda enascuntur, sed per graduum successionem corpus ad exercitia subiendum est. Et quam quaeſo indefessi sumus in deuorandis molestiis ob leuioris alicuius utilitatis spem: quidni igitur incomparabile et preciosissimum sanitatis bonum animos stimulare debet, ad quiduis tentandum, et opportunitates ingeniose excogitandas? quae *tertia* simul *obiectio* erat. Illis quidem, quibus frequentior quaedam iuuentus commissa est, satis curarum et sollicitudinum facessit parare illas occasionses, materiam et opportunitatem sufficere: at si quis de se ipso sollicitus est, non destitueretur profecto motione, nisi forte manibus pedibusque destitutus. Quae *quarto loco* nouitas huius sententiae proponitur, et falsa est, et ad inuidiam magis quam refutationem comparata. Habent singula
cauſas saecu-

saecula suos morbos sibi proprios et peculiares quibus propria etiam et peculiaris medicina paranda est. Quare, cum in hac repuerascentis mundi senectute omnia ad mollitatem, desidiam, voluptatem et corporis interitum atque perniciem conspirant: non est cur adeo miremur cordatores medicos admodum commendare hanc corporis exercitationem, quam prisci mortales sua sponte subierunt.

Si quae etiam exempla huic sententiae contraria adfunt: forte saniores essent hi homines quam sunt, aut sibi esse videntur, nam et ignorantia morbi morbus est, aut diutius sani manarent. Neque omnibus una huius motus necessitas est, quo alii aliis facilius carent, et longius etiam, tutissima tamen via feligenda est. Rectius enim praeveniuntur et evitantur haec mala, quam ut cum multo discrimine exspectentur. Quod si quis officiorum religione arcetur a cura corporis, is se utilitati aliorum sacrum esse, et ante diem suum ad interitum celeriorem deuotum existimet. Verum et haec inepta plerumque excusatio mollitiei praetexitur: nulla enim neque humana neque diuina religio esse potest, ad enecandos nosmet ipsos. Multo felicius provinciam suam quisque ornabit, si integris semper et per curam corporis instauratis viribus ad labores accederet.

Supremus restat actus, ex ordine, quem nobis preecepimus obeundus, ut corporis exercen-

di modum rationesque explicemus: in quo nobis breuissimis esse licebit; quod a vera sapientia longissime abest, formularia specialiorque illarum rerum determinatio, quae a cuiusuis rerum ratione et conditionibus pendent. Quare vnam hanc legem statuamus. In quo exercitationum honestarum et licitarum genere sua quemque aetas, animi inclinatio, viuendi ratio, et officiorum conditio exerceri iubet, quantum suae quisque constitutioni necessarium intelligit, tantum et ita se exerceat. Nam sicut cibi capiendi, nec quantitas, nec qualitas, nec tempus, regulis definiri aliis potest, ita et in hac re suum singulis integrum esto iudicium. Netamen lectorum spem penitus hic destituamus, de his cautionibus illos monendos esse arbitramur: lentam et moderatam sed longiorem et continuatam motionem praestare vehementiore, immodica et co breuiore: cauendum etiam esse ne a motu sudore madidi frigescamus: porro ad instaurandam valitudinem iam fractam plus motus requiri, quam ad conseruandam: illos etiam quorum motus interni difficilius procedunt animique commotiones vehementiores et longiores sunt, aegrius carere motu externo, quam qui tranquilliore et leuiore animo sunt: utilem dentique motum inutili, gratum ingrato praeferendum esse; ut animus eo melius recreetur et a cogitationibus seuerioribus abstrahatur. Olim eruditii non ita a communī homi-

hominum genere separati fuerunt, ut opificia et alia manuaria opera, tamquam infra dignitatem suam posita, adeo despicerent: vnde et vi-ctum habuerunt, et animi recreationem, et quod longe maximum est sanum corpus. Et rectius forte omnia inter eruditos se haberent, si haec consuetudo non penitus obsoleuislet. Multa certe inutilia terrae pondera haberent, quo de pane sibi consulerent. In honestas vero exercitatio-nes, quibus bona mens violatur, animus corrumpitur et ludicus fit, cauendas esse, quam quae maxime quilibet facile intelligit.

Haec omnia si recte considerantur, nemo inanem operam posuisse nos crederet, in iuuentute, quae in hac schola nostra frequens adolescit, ad corporis pariter atque animi exercitationes et utrumque puluerem admouenda. Nam quo sanctius illa ab omni ludendi grassandi et circumuagandi licentia interdicitur, et ad continuam diligentiam in litteris stimulatur, quo arctius etiam interclusa tenerur: eo magis etiam nostrarum partium esse duximus prouidere, ne quid detrimenti caperet valerudo ab hac tranquilla, sedentaria et seueriore vita. Curauius hunc in finem ut materia et opportunitas agi-randi corpus numquam deesset, et illis maxime, qui motus iudicentiores sunt, ordinariae horae constituerentur eadem industria obeundae, qua reliquarum lectionum labores peraguntur. Praeterea si sudum est, per ordines in campum edu-

cuntur, ad liberius circumcursitandum et modice ludendum. Aestiuo etiam tempore, quatuor per hebdomadem diebus duas horas in agros exspatiatum eunt, in certos ordines distributi ut non solum confabulando animum a studiis fessum recreant, sed corpus etiam moueant, et ad labores tempestatemque ferendam confirment. Praeest singulis his ordinibus aliquis moderator, ad intemperiem et petulantiam, quae ab illa aetate et frequentia vix abest, prohibitus. Neque euentus adhuc de fuit optatissimus, ut huius nos consilii non poeniteat, quicquid imprudentioribus nonnullis pueris contra videatur et parentibus harum rerum ignaris. Quorum gratia illud argumentum hoc programmate tradicandum sumsimus, cum temporis ratio iam postulauit, ut ex more nostro, examinis solemnitas indiceretur, et aliquot classis selectae ciues ad academiam rite dimitterentur. Tres enim erectioris animi adolescentes, laudabili conatu omnem scholasticum cursum conferunt et reliquarum classium stadia emenfi in difficultiori hoc puluere, tot praeclara ingenii et diligentiae specimina dederunt, ut optimam de se spem excitarent, et iam digni habeantur qui felicissimis auspiciis ad academiam emigrent. Primus illorum (a) IOACH. LEONHARD. HERMES

(a) WERNIGERODEAE corrector meritisimus. (b)

in hac schola quinque, et in hoc supremo ordine sesqui annum transegit et bonam mentem cum litteris, in quibus praeclare profecit, felicissime coniunxit: (b) IO. LVDOLPH. HOMEVER in orphanotropheo VI. annos et VI menses, atque in hac classe annum integrum, et GEORG. FR. WEGNER VI menses, ita ambo consumserunt, ut diligentiam morumque integritatem praeceptoribus admodum probarent. Hi postremo labore suo scholastico defuncturi ultimos sermones habebunt, et profectuum examen subibunt. Cui solemnitati ut litterarum patroni et fautores, pro sua in nos voluntate, frequentes intersint, et benevolie faveant, officiose et humanissime etiam atque etiam rogantur. Quod reliquum est, DEVVM veneramur supplices, ut non solum tribus his academiæ candidatis dignissimis studiorum mutationem faustum et felicem esse, atque in utilitatem publicam cedere iubeat, sed ceteris etiam, qui ex prima classe et reliquis ad altiora studia festinant, illum transitum forunet. Faxit supremum numen, ut sana omnibus mens sit in corpore sano.

(b) MAGDEBVRGI ad sacrum monasterii b. MARIAE Viginis conuentum adleitus.



PRO-

236 PROGRAMMA SCHOLASTICVM VII.

PROGRAMMA
DE
PERICVLIS ET MALIS ERV-
DITORVM

AD
EXAMEN SOLEMNE
IN ORPHANOTROPHEO GLAVCHENSI
AD D. XVI ET XVII APRIL. CLO IO CCXXXIII.
INSTITVENDVM.

Nascimur hac lege miseri mortales, ut ad felicitatem contendentibus nullum aliud, quam per innumera salutis discrimina, fortunae insidias, et variae tempestatis vicissitudines iter pateat, atque adeo in rebus humanis habeamus vel mediocriter boni parum, perfecti autem et omni ex parte beati admodum nihil. Neque illa miseria alicui aetati, vel ordini soli propria, sed vniuerso hominum generi communis est, qui ad unum omnes insidiosissimam vitam vivunt, eamque quo splendidiorem eo etiam periculosiorem. Per alios ordines iam latius euagari nolumus, sed quod officii ratio, atque amantissima iuuentutis

PROGRAMMA SCHOLASTICCVM VII. 237

tutis nostrae cura postulat, in litterorum familia subsistemus, eorum pericula et errores commemoratur, quibus fine suo et utilitate ex litteris capienda, nisi omnino, ex parte saltem excidunt, ut quorum hac tuto transfire interest, sciant, vnde sibi parentur insidiae et damna immineant, operaे pretium facturi, si vel aliquos cautos et de salute sollicitos reddiderimus. Quia in re hos nobis limites ponimus, ut in tanta periculorum litterariorum multitudine, ea omnia, quae erudit*i* ut homines cum aliis communia habent, praetereamus, et ex peculiaribus huic ordini grauiora dumtaxat seligamus, quae et frequen*tia*, et exitioso damno prae aliis eminent, ea que ad duas classes referamus, vnam eorum, quae ipsam litterarum culturam impediunt, et interna vocari possunt, alteram externorum, quae ex doctrinae et eruditionis abuso vel litteratorum vel aliorum culpa consequuntur.

Atque ut primo loco *de internis periculis* constituantur, quae faciunt, ut homines post improbos labores multorum annorum exantlatos eruditione tamen et sapientia careant, eruditionis umbram consecuti: dupli potissimum ratione peccare videntur, qui litteris operantur, et in *delectu studiorum*, quibus se immergunt, et in *tractandi discendique modo*. Sic periculosissime errant, qui in litteris seligendis inutilia et minus olim profutura praeferunt utilioribus et adeo necessariis, ut ab erudito seiungi nequeant. Quod ab

ab illis fieri solet, qui non ex fine et fructu, sed ex iucunditate, delectatione et, quem ipsi dicere nesciunt, gustu ac naturae impetu litteris suum premium statuunt et operam addicunt, aut otii et voluptatis causa, ad fallendum tempus studia tractant, aut, quod pueri in nundinas sine moderatore delati faciunt, in litterarum mercatu fuso, splendore, praeetentis turbae confluxu, circumforaneorum clamoribus, ad coemendas merces feruntur. Nefando dolore enecentur necesse est, qui post florēm aetatis, patrimonium, immo etiam animum corporusque in litteris consumtum, dum sapere incipiunt, animaduertunt, omnia se in spem futurae obliuionis didicisse, tantique poenitentiam emisse. Inaestimabile tempus, pretiosissimos iuuentutis annos, a quibus futura salus penderet, in ornamentis eruditorum transfigere, quae cum ipsa doctrina coniuncta commendant et sublevant quosdam, sola iuuant omnino neminem, aut neglectis studiis, quae hominem vere perficiunt, et sibi aliisque vtilem reddunt in subtilitatibus et minutis haerere, quae alii ne intelligunt quidem, tantum abest, ut magni faciant: quid hoc aliud est, quam tempore, sumtibus adeoque se ipso turpiter abuti, ad irreparabile fibi damnum faciendum.

Prope absunt ab hoc periculo, qui vtilia quidem et necessaria, sed sine ordine, sine nexu tractant, disciplinas separant natura coniunctissimas,

mas, et toto caelo alienissimas inauspicato coniungunt, a difficilioribus ad faciliora, a posterioribus natura ad priora progrediuntur, aut morae et progressionis impatientes desultorie hinc inde vagantur, et per litterarum prouincias circumvolant, sexcenta studia commiscent, sine interiecto respirandi orio radium ducunt, PLATONEM et EPICETVM legunt, ex STRABONE regiones disternant, pro rostris declamant, pedes numerant, focco et cothurno incedunt, historiam scribunt, longam ratiociniorum et demonstrationis seriem necunt, metalla tractant, antiquitatis monumenta, lapides, nummos, codices exefos rimantur, oracula sacra interpretantur, vno eodemque die eoque vel nondum integro, in CAESARE, ARISTOTELE, PINDARO, EVCLIDE, IVSTINIANO, HERODOTO, VIRGILIO et GALENO sunt, eadem hora CATULLVM et PAVLLI epistolas, CICERONIS oratorem et APVLEI ASINVM atque CORANVM et HESIODVM verfant, atque id tandem efficiunt, ut dum spirans et ambulans bibliotheca esse volunt, viuum aliquod et incedens chaos exacte referant. Nolunt multum, sed quod vasto ingenio dignum sit, multa discere, quo sit, ut ex omnibus aliquid, ex toto sciant nihil. Numquam ex cibi potusque intemperie tot morbi enascuntur, quot hi litterarum heluones, dum in doctrinas se ingurgitant hac insatiabili voracitate erudita sibi vitia contrahunt.

Aliud

Aliud litteratis periculum imminet, ex persa studendi ratione, qua multi non in ingenio excolendo, et animo emendando, non in se ipsis erudiendis, et a stultitia ad veram sapientiam traducendis elaborant, sed in memoria exercenda et effacienda, capite onerando, et scientia corradenda. Hi beatae memoriae homines litteris onusti a meditatione, veri rectique sensu, ratiociniis et deliberationibus alienissimi, quid in rebus obuiis sentiendum dicendumque sit, sciunt cum ignarissimi, quid alii senserint, dixerint, disputauerint accurate callent, adeo ut quidquid loquantur, scribant, differant, non ipsi cogitent, sed recordentur et meminerint. Vnde praeiudicatis opinionibus toti scatent, et iisdem sententiarum limitibus circumscribuntur, quos illi posuerunt, in quorum verba iurarunt, et a quibus vel latum vnguem recedere nefas ducunt. Vtcunque casus fert antiqua praestare nouis, noua antiquis, hanc illam philosophorum, theologorumque familiam vera falsa statuere affirmant, negant, in quamcunque partem illi, in quos inciderunt, quos legerunt, audiuerunt, imbiberunt, forte pronuntiasse norunt. Rectius haec eruditorum mancipia, simacula et machinas loquentes et eruditionis echo, vnde aliorum voces resonant, dices quan litteratos, quam eruditos.

Qui hanc *scyllam* effugiunt, in *charybdin* non minori sapientiae iactura labuntur, vt imaginacionis

tionis vehementioris aestu abrepti suo per omnia ingenio abundant. Nihil illi ab aliis discunt, nihil aliunde indigent. Quam primum in disciplinas deueniunt, qua sunt arripiendi facilitate, illas perspiciunt, intelligunt, diiudicant. Non solum omnes litteras, quas perfundorie tractarunt, vel ut canis ex NILO degustarunt, callere imaginantur, sed iudices longarumque litium arbitri sedent, sententiam ferunt, censores agunt, et nouaturiendi pruritu omnia conuellere, emendare, suis fedibus disturbare conantur. Ita feliciter vigilantes somniant, ut res, quas numquam didicerunt, disputent, doceant, aliisque persuadeant et temere effutant, aut chartis illinant non quae cogitarunt, et meditati fuerunt, sed quod exemplo furore concitis in buccari venit, aut calamo effluxit. Posset longior census agi huiusmodi periculorum internorum, ut, si qui nimis festinant in litteris, aut taediosissimas moras nocturne inuita minerua profitentur artem, a qua natura abhorrent: verum quid horum est, potest id omne ad haec iam commemorata referri, a quibus nisi quis mature sibi omnique animi prouisione cauer, fieri non potest, ut vere eruditus euadat, et sapientiam vel mediocrem consequatur.

Iam ad alteram classem venimus longe numerosiorem *externa litteratorum pericula* complexam, quae non ipsam eruditionem afficiunt, nec solis eruditorum nomen mentientibus pro-

Q

pria

pria sunt, sed vel ex eruditionis tam verae quam fictae abusu, vel aliorum ignorantia et malitia originem trahunt. Huc pertinet superbia, familiarissimus litteratorum supra ignarum vulgus sapientium morbus, a quo vel centesimus quisque inter eruditos non immunis est. Nam auctore PAVLLO, litterae dum caput implet, occultam aliquam vim habent inflandi, ut animus illis facile rumeat, et efferatur. Hinc erudit oculatores se esse credunt reliquis hominibus, quos in tenebris oberrare, se vnos luce frui arbitrantur. Nec indoctis solum, quos alto supercilio contemnunt, sed etiam inferiorum ordinum eruditis se praefrerunt, qui supra mediocritatem sapere volunt: unde caliginem ante se densissimam, barbariem et ignorantiam acerbe queruntur; ut viam aliis fecisse, primi facem omnibus praetulisse, et lucem disciplinis affudisse videantur. Ex quo fonte manat illa incredibilis gloriae, famae, honorum et laudum cupiditas, in clarescendi insania, eruditionis iactatio et impudentissima meritorum ostentatio, illa contradictionum impatientia, immoderata dubitandi et disputandi intemperantia, vna cum litibus, rixis, odiis, conuitiis et digladiationibus litterariis. Turpis est et pudenda quorumdam arrogantia, qui vel leuissimis rebus superbiunt, in quibus quod pueri in faba inuenerunt, laureolam ex mustaceo captantes, vel a parasitis et adulatoriis ita sibi imponi patiuntur, ut communis patriæ

patriae praeceptores, instauratores litterarum, lumina, oracula, dictatores ciuitatis eruditae se ipsos pronuntient, vel sui ipsorum tandem ita obliuiscuntur, vt se homines esse non meminereint, a quibus humani quid et errandi in primis periculum abesse nequeat. Aliorum honestior est gloriae ambitio, qui moderatius quidem, occultius et prudentius, impense tamen et vehe menter honorem ex litteris affectant.

Peius longe et periculosius discriminēt, in quod multi litterarum abusu adducuntur, vt profana mente in sacra quaevis, religionem et ipsum sanctissimum NVMEN iniurii fiant. Nam vbi animus semel in admirationem sui conuersus ex nouitate et audacia gloriam sperat: mirum esset, si humanis diuinisque legibus contineretur, aut quidquam sibi illicitum et ingenio non peruum putaret, aut adeo verendum, cuius sanctitate arceretur. Quod in humanis scriptis repurgandis, antiquissimis erroribus impugnandis, atque inueteratis superstitionibus debellandis aliis feliciter cessit, et famam peperit, illud nonnulli in religione tentant: in quam confondiendam et exterminandam omnem ingenii, si quod habent, aciem et litterarum arma conuentunt, idque toti agunt, vt sacratissima iura, leges diuinias, fas omne et nefas, mentis immortalitatem, superos, inferos, et malum! ipsam supremam mentem, sacratissimum et inuiolabile NVMEN negent, atque vt poetarum figmenta,

Q 2

ani-

aniles fabulas, puerorum terriculamenta, et callidas magistratus ad continendam plebem artes a sapientibus auerruncent.

Alii laudum incurii, quam omnes flagitosi exoptant impune peccandi licentiam, tunc sibi consequuti videntur, si legum poenarumque diuinarum fidem dubiam reddiderint. Alii elegantia poetarum, oratorum, historiorum ita fascinati, tenentur, ut summi boni, quod in delectatione erudita, suisque elegantiss et gratis ponunt, quas soli intelligunt, iacturam metuant, si vel interdum grauissima morum praecepta meditari, ad vitam conferre, aut oracula diuina, quae ad PINDARVM, DEMOSTHENEM, CICERONEM sordent, robore, numero et elegantia carent, legere debeant. Longe hi fauissent feliciores futuri, si litteras aeternum ignorassent, quas cum virtute, bona mente, ipso DEO, summo bono commutarunt, et non ad felicitatem, sed ad perniciem et interitum didicerunt: litterae etiam haberent, quod sibi gratularentur, si ab his nequissimis hominibus intactae mansissent, qui maculam ipsis adspergunt vix eluendam.

Sequitur aliud eruditorum malum corpori magis quam animae, quae tamen ipsa sic perclitatur, infestum, ut valetudinem debilitent, robur et vires infringant, seque ipsi enecent. Nam, dum necessaria corporis exercitatione, et alterna requie carent, cum diebus molestissimis noctes

noctes infomnes coniungunt, et aetatem in bibliothecis, inter mortuos, et antiquas philosophorum animas et umbras agunt; tandem ipsi illis similes euadunt: non homines sed hominum umbrae ex tumulo magicis formulis excitatae, et laruae errantes videntur, pallent, liuent, trepidant et corpus, ac si suum non esset, sed alienum sibiique non satis accommodatum aegre trahunt. Chartacei hi homines non solum ad labores externos, ad aerem et tempestatem, ad conuersationem et aliorum commoda inepti sunt: sed ad ipsa studia vegetum robur amittunt, et in flore ante maturitatem marcescunt, aut quod nonnullis accidit, eruditione sua in deliria, furorem et feritatem degenerant.

Cum hoc malo arte cohaeret vitae morumque obscuritas, quam vel cum morositate vel leuitate incredibili coniunctam sibi contrahunt, qui id quotidie agunt, ut mentem, cogitationes omnes, et se totos a rebus obuiis ad commune vulgus pertinentibus, immo a se ipsis abstractant et extra se in litteris versentur. Ex umbra et puluere suo ad forum, ad vitram communem euocati in alio orbe peregrinantur, sermone, vestitu, gestibus, gressu ipsoque vultu aliquid peregrinum, singulare et ab aliis hominibus longe remotum referunt: inter quos vel statuae videntur et CATONES, vel ubiuis loquacissime declaterant, suasque nugas venditant, vel declamationibus turbulentissimis ineptiunt et risum

Q 3

omni-

omnibus aut stomachum, vel sordidie fastidium mouent.

Satis frequens eruditorum periculum est eorum maxime, qui vel vere sapiunt cum scientia sua, vel noui aliquid, veri tamen et utile proferunt, ut caninam aliorum inuidiam, vaticiana odia et inimicitias ferales incurvant, omnibusque grauissimae noxae, irreparabilis damni et pestis per ipsos litteris, bonis moribus, ciuitati et religioni inferendae suspicionem faciant. Omnis enim veritas odium parit, et citius literati a gloriae cupiditate, homines a se ipsis descendunt, quam eruditii ab inueterata consuetudine suspicionibus insectandi omnes, qui non communem turbam sequuntur, iisque diem dicendi, qui reliquos errare satis temere et audacter, nisi verbis, re tamen ipsa suoque dissensu affuerant. Quod ne a sellulariis quidem artibus abest, ut figulus figulum, id inter eruditos maxime inualuit, ut criticus criticum, rhetor oratorem petrat. Quam ob rem circumspecte et prouide rem suam agant, qui non, qua itur, sed qua eundum est, aliis litteras praeeunt, et magna multaque cautione sibi de securitate prospiciant.

Neque desunt eruditorum exempla, quibus cum durissima paupertate, et rerum paene omnium, quibus vita trahitur, inopia misere confundandum est, qui omnibus eruditioibus suis, quas caro coemerunt, vix panem lucrantur, et non de fama sed fame solliciti sunt, a qua

qua se et familiam aegre defendunt. Contemtus et despicientia, in qua plerique eruditi apud alios in primis opulentiores sunt, adeo communne periculum est, vt his temporibus pauci id effugiant, vbi litteratorum ordo per homines dubios, nouos, semifidoctos et infaustis auibus in ciuitatem litterariam adlectos ex illo honore, quem olim obtinuerat, iam dudum decidit, et principes, quorum praemiis sustinebantur quondam litterae illas intelligere et aestimare nostra et parentum memoria desierunt. Vnde despectio quorundam, qua cum ereditiore animo ipsas litteras abiiciunt, illiberalis quaestus et turpis litterarum mercatura, aliaque innumera mala oriuntur.

Plura in hanc rem dici possent, nisi rectius aliud paterentur et ab instituto nostro remotius dissiderent. Plura etiam in medium proferten ordinis scholae nostrae selecti et primi ciues, qui naturae scientiam, necessariam et utilem pariter ac iucundam disciplinam turpiter a multis magno suo periculo neglectam, et philosophorum iniqua fata, vt exemplum periculorum, quibus eruditio vexatur, proponent.

Verum cur haec operose disputauimus? scilicet, vt homines ab eruditione auocaremus? scholis vastitatem, orbi barbariem imperaremus? vt traducerentur et riderentur homines immortaliter de commodis publicis meriti? vt aleretur qui iuuentuti inest, litterarum con-

temtus? Absit per omnem modum. Alia longe horum periculorum describendorum ratio est, ut omnis iuuentus nostra mature moneatur de legitimo litterarum aestimio, delectu, cultura et viu, ne solas litteras veram felicitatem et summum bonum praestare putent, quae homines, nisi DEVS intercedat, reddunt saepe quam infelicissimos, sed ut DEVM eiusque spiritum precibus exoratum aliosque prudentiores et viae gnares homines duces sequantur, de sapientia vera, cuius initium timor DEI est, magis quam scientia sibi prospiciant, semperque in omni studiorum decursu finem ante oculos propositum habeant. Iliis maxime qui iam ex schola in academiam proficiscuntur, haec tabula periculorum proponitur, ut dum vela pandunt a littore in altum vecturi, in pelagus periculosum immisssi sciant, quas syrtes et praerupta faxa, quos scopolos et vortices praeter nauigare debeant.

Agite igitur, o nostri, carissima nobis pectora, arduum et anceps iter est, quod ingredi mini, follicite vobis vndique cauete, animum vestrum bene instaurate, si quid iam vitii ex litteris contraxistis, sanguine diuino eluite et expiate, DEVM gubernatorem vobis adiungite, precibus vestris certo non defuturum, et sic secundis ventis vela date. Nos pro incolumitate vestra vota nuncupabimus, et iter litterarium expeditum vobis tutum, felix faustumque precabimur.

Atque



Atque ut haec profectio tolemnior sit, in publica scholae nostrae lustratione dimitteatur, qui iam subductis rerum fuarum rationibus superiorum auctoritate abitum parant, ultimosque sermones publice habebunt. Quam celebritatem ut, qui scholae nostrae litterisque bene volunt praesentia sua condecorent, humanissime rogamus: neque hoc beneficio et diligentiae incitamento indigni sunt tres adolescentes, qui ex ordine selecto in academiam ritu consueto commigrabunt. Primus illorum (a) IO. DAVID MICHAELIS eruditissimo, et de ipso bene merente patre dignus filius, praecoci diligentia inter aequales profecit, reliquos ordines emenfus in superma classe annum et sex menses laudabiliter transegit, humaniores litteras, ad quas natus videatur, et philosophiam bene imbibit, et ingenium, quo excellit, ita perpoluit, ut omnibus magnam sui exspectationem faceret, quam ut ab excitatorum ingeniorum periculis liber, expleat, immo superet, comprecamur. Secundus (b) CHRIST. IENSEN, ingenuus iuuenis, bonam mentem cum indefessa diligentia raro exemplo feliciter coniunxit, limato iudicio litteras tractauit et ad illam maturitatem prouexit, ut vitam et studia

Q 5

omni-

- (a) Summos nuper in'philosophia honores adsequutus est. (b) FRIDERICOBURGI IN SEELANDIA siti sacrorum oraculorum interpres.

omnibus probaret: fuit sex menses in selecta classe. Tertius CHRISTIAN. FRID. KIRCHNER idem spatium semestre in hac selecti ordinis palestra consumxit, liberalis adolescens, industrii discipuli partibus ita defunctus, vt non contemnendos progressus ficeret. Faxit supremum numen, vt fauentibus ventis felicitatis portum consequantur.



LIT-

LITTERAE ACADE- MICAЕ

AD SOLEMNIA

DISPVTATIONVM PVBLICARVM

I. SVB PRAESIDIO VIRI SVMME
REVERENDI

HABITARVM

II. ALIIS MODERANTIBVS DE-
FENSARVM.

AD DISPUTAT. THEOL.

EXPLICATIONEM

LOCI DIFFICILIS IO. X. COM. XXXIII - XXXVIII.

ET

VINDICIAS DIVINITATIS
CHRISTI

EX EODEM EXHIBENTEM

QVAM

MENSE AVGUSTO AN. CIO IO CCXXXV DEFENDAT

AVCTOR RESPONDENS

IOACH. FRIDER. (*) HIZWEDEL
POTSDAMIENSIS.

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES

Vide quantum TVAE dexteritati tribuam.
Reddo TIBI disputationem, quam mihi corrigendam tradidisti sine mutatione eamdem, non, quod limam minus admittere arbitrer, aut argumentum cura-

(*) Sacra generosae iuuentutis quae regii impensis BEROLINI armis exercetur, administravit, qua statione praeclare perfunditus iam in aliam FRANCORVM ad ODERAM prouinciam sacram nuper concessit.

curatiori tractatione dignum esse negem: sed
vt progressus in litteris et sanctiori doctrina factos
sic certius declares, et REGI in primis POTENTISSIMO,
studiorum tuorum STATORI, vna cum
promptissimo obsequio demonstres. Age igitur,
eudem TE in defendenda dissertatione auditori-
bus proba, quem TE in elaboranda praestitisti,
alacrem et veri certique studiosum. Gratulor
TIBI causam, quam suscepisti, his nostris tem-
poribus dicendam omnino. Quam si recte didi-
ceris, crede mihi obtinebis. Seruatoris O. M.
de salute nostra meritissimi maiestatem vindica-
tum is. Laudo voluntatem, quae iam ipsa in
tam praeclaro labore laudanda est, successus fe-
lices auguror. Tuere fortiter gloriam IESV
DOMINI nostri non hac tantum opera TVA, et
velitatione academicā, verum omni virium con-
tentione in eo elabora, quoad viues, vt viua
eius cognitione imbutus ipsum cogitationibus,
sermone, ipsa denique vita concelebres. Ita-
demum REGI munificentissimo satisfiet, qui REGIA
liberalitate ad litteras TE excitauit et huc trans-
misit suis sumtibus nutriendum, er ad bonam
mentem, solidam doctrinam publicamque coe-
tus facri utilitatem formandum. Spem REGIAM
nondum fecellisti, sed exspectationem, quam
de TE habuimus omnes, adhuc impleuisti. In-
defessam PRAECEPTORIBVS TVIS operam nauasti,
quod mihi maxime innotuit, qui communī TE
cum domo vtor, teque assiduum lectionum au-
ditio-

ditorem habui. Juuentutem ex aliquot tempore laudabiliter instituis. Aequales multos proficiendi felicitate ante uertis, in posterum te ipsum superabis. Quod reliquum est, ut dies, quem pro tua in REGEM CLEMENTISSIMVM pietate solemnitati certaminis academicis destinasti, natalis POTENTISSIMI REGIS, ipsi indulgentissimo PATRIAE PATRI, familiae regiae, patriae academie, et tibi sit longe auspicatissimus, ex animo ardentissime precor. Ita in rem tuam vale rectissime.
Dedi in academia fridericana d. IV idus AV-

GVST. anni CLO ID CCXXXV.

AD DISPVT. THEOL.

DE

PRECATIONE CHRISTI PRO
AVERTENDO

CALICE AD MATTH. XXVI. COM. XXXVIII.

QVAM

CAL. SEPTEMBR. AN. CLO ID CCXXXV. HABVIT

AVCTOR RESP.

CHRISTIAN. HENRICVS NEHRING

MORLENSIS MAGDEVRGICVS.

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES

Ex

Ex laudabili diligentia TVA, cuius iam praeclarum specimen edis, laetisque studiorum progressibus adhuc factis voluntatem capio singularem, quam his litteris significandam esse putaui, ut simul et TIBI de faustis laborum primitiis, et PARENTI TWO admodum querendo de eximiae spei filio publice gratularer. Disputationem, quam proprio marte elaborasti, obseruationum mearum accessionibus amplificare nolui, ut TIBI maneret propria. Ne tamen omnino sine symbola discedam, habeto, quae mihi eamdem perlegenti in mentem venerunt, nonnulla. Ad compellationem πατερ μεν οντος mihi est sanctissimus seruator et aliquem characterem MESSIAE ps. LXXXVIII. 27. praedictum et typum ISAACI GEN. XXII. 7. impiere, et in mediis doloribus a DEO immisfis, animum veneratione et fiducia plenum atque ab omni indignatione alienissimum contestari, et ipsi denique DEO rationes mouentes audiendarum precum proponere voluisse, imitatus IOBVM c.X. 8 - 13. Mentione ποτηρίων forte respexit CHRISTVS ad magistrum coniūii, quem VARRO modimperatorem vocauit, SIRACIDES cap. XXXV. I. ηγεμόνων, qui bibendi leges et singulorum mensuram moderabatur, qualem hic in determinanda calamitatum suarum portione DEVVM esse fatetur. Si quis coniecturis locus vacaret, cum hoc ποτηρίων contenderetur rectius aquarum amararum pocu-

poculum NVM. V. commemoratum diris omnibus et imprecationibus refertum, quam mortis poculum cicuta aut alio veneno plenum, quod supplicium IUDAIS non innotuit. Dummodo ποτηγιον ταῦτα ad vehementiam formidinis COMM. XXXVII. expositam referatur, quae inusitata taedii tristitia et metus conscientia hos ipsi gemitus expressit ad auerruncandum horrorem, vox παρελθετω nullis difficultatibus laborat. Incredibilem hunc terrorem, quo sanctissimus IESVS perhorruerat, ad dolores et afflictiones in consilio diuino sibi decretas pertinere, qua tunc erat imperfectione in exinanitione constitutus, ignorabat, arbitratuſ hunc sibi metum ad cruciatus reliquos fortiter ferendos impedimento futurum. Quam ob cauſam dubitanter ita orat ut exemplum praebeat conformandi preces omnes ad voluntatem DEI. 10. V. 14. Et hunc calicem ποτηγιον λαπής καὶ αδημονίας cito DEVS abstulit, animum corroborando iterum. Illustrari haec animi ipsius mutatio egregie potest ex ps. XVIII. Conditio addita εἰ δύωσον non in LVCA solum cap. XXII. 41, explicatur per εἰ θουλεῖ, verum et in textu per alteram phrasin epexegeticam πλὴν ως εγώ θελω αλλα ως συ. Qua ratione CHRISTVS verebatur, ut, non quidem per potentiae diuinae limites, sed per sapientissimam decreti diuini constitutionem liberari posset. At vero manum de tabula. Epistolam scribo, non dissertationem. Quod reliquum est, DEVM O. M.

R

sup-

supplex veneror, vt donis in TE collatis incre-
menta addat cum perpetuitate, TE sibi totum
vindicet, atque in litteras et ciuitatem suam
multum ex TE vtilitatis redundare iubeat.
Dedi cal. sept. MDCCXXXV.

AD DISPVT. THEOL.
DE
DICTIS SCRIPTVRAE SACRAE
PROBANTIBVS
QVAM
• SAL. NOVEMBER. AN. CICIO CCXXXV. HABVIT
RESPONDENS
MATTHIAS DRVDE
HALBERSTADIENSIS
RESPONDENTI
S. P. D.
PRAESES

Recta et laudabiliter agis, quod litterarum
sacrarum stadium academicum, in ie-
nenſi et nostra bonarum artium sede
emensus, domum iam concessurus, sine
publico diligentiae, et profectuum specimine
pla-

(*) Altera iam paeclarae huius dissertationis, cui
VIR MAXIME REVERENDVS ultimam retractando
ma-

plane non discedendum tibi esse arbitraris, ut
honoratissimae familae, patriae et orbi eruditio

R 2 de

manum admouit, exstat editio. Multorum sane
praepostera probandi ratio, qui pro rostris sacris
sacrorum oraculorum interpretes ac dei hominum
que internuntii videri volunt, stomachum saepe
prudentioribus mouent ab irridendi pruritu ce-
teroquin alienisimis: praesertim, si explicaciones
ad sententiam quamdam prolatae ad lingua sacra
tamquam lydium lapidem examinentur.
Cui iuueterato malo medicinam praefentissimam
VIR AMPLISSIMVS adferendam esse putauit, quod
proemium disputationi praemissum luculentissime
demonstrat. Vbi, verum ne mala nostra diffimu-
lemus, inquit, nondum nostrarium libri hoc mala
carent, licet rectiora profiteamur, eo certe minus
excusabiles, si nobis cum ipsis pugnamus, et dum
scripturam sequi per omnia videri volumus, no-
stras saepe sententias sacrae scripturae verbis et dia-
ctis male congesitis, vestimus. Non solum sermones
plerique pro concione sacra habiti sententias
probationibus, quae si curatius examinantur, nit
nisi accommodations sunt, vt in formulam cessa-
rint probationes homileticas, verum et ipsa systemata
satis multa his virtutibus probationibus referta sunt.
Ex quo simul totius tractationis, quem sibi ipse
praescripsit ordo intelligitur, argumentum, adi-
ciens, ita tractabimas, vt primum generalia qua-
dam buc pertinencia discutiamus, deinde ipsam
naturam dictorum probantius explicemus, et tan-
dem nonnulla ex tractatione deriuemus scitu non in-
digna. Secundum momentum, quod primas do-
ctissimae dissertationis partes summo tibi iure
vindicat, quinque complectitur requisita. 1) di-
ctum probans desumendum ex libro canonico q. 11.
2) de-

de tempore, studio et labore non male locato conster. Quam primum huius me tui consilii certiorem fecisti, insignem ex eo voluptatem cepi, neque honesto desiderio vlla ex parte defuturus, operam meam tibi addixi, et argumentum, in quo industriam exerceres, viriumque periculum faceres, proposui. Elaborationem, quam mihi exhibuisti diligentissime confessam, ita retractauit, ut argumento facherem satis, et omnia eo digererem ordine, quo hic apparent. Abiturientis festinatio, meique labores, quibus occupatissimus teneor, maiori curae et emendationi obfuerunt: sufficiet tamen, si eundem te in ea defendenda exhibueris, quem te cognoui in elaboranda, ad praeciarum dexteritatis Tuae documentum. Faxit deus o. m. ut theologiam ex his sacrarum litterarum fontibus haustam per omnem vitam sancte colas, religiose obserues, doctrina et vita exprimas studiosissime, eius felicitatem certissimam experias aeternum, et ciuitati dei fructus feras amplissimos. Dedi in frideriana prid. non. nouembr. eli 10 cccxxxv.

2) presumendum ex textu authentico §. 12. 3) sit certae et indubiae lectionis §. 13. 4) sit dictum probans sermo ipsius dei, christia aut viri georgie 1850 §. 14. 5) sit certae interpretationis §. 15.

LIT-

AD DISPVT. THEOL.

DE

CHRISTO A IVDAEIS CONSPI-
CIENDO

QVANDO DIXERINT:

CELEBRETVR VENIENS IN NO-
MINE DOMINI

AD

MATTH. XXIII. COM. XXXIX.

Q.VAM

AD D. IV. FEBR. CLO 15 CCXXXVI. HABVIT

AVCTOR RESPONDENS

IO. CHRISTIANVS (*) GRVNDLER

HALA MAGDEB.

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES

Qui magnam semper ex ingenio et indu-
stria TVA satis mihi probata, volupta-
tatem cepi, nouo hoc eiusdem speci-
mine mirifice delector, tibique felic-
ices has primitias vere gratulor. Argumentum,
in quo explicando illustrandoque gnauiter elab-
orasti, certe non indignum est studiofa discuss-

R 3 fione,

(*) Pomeridiana templi maioris LVTHERANORVM sa-
cra CVSTRINI moderatur.

sione, et ad problemata exegetica pertinet, quorum qualiscumque etiam tractatio iis profecto discipere non potest, qui suum oraculis diuinis pretium statuunt, quantique eorumdem interpretandorum referat plures sententias et coniecuturas inter se contendit, non ignorant. Ab emendanda dissertatione TVA, meisque obseruationibus amplificanda et mea me voluntas revocauit, quod praeclarum hunc diligentiae fructum proprium TIBI omnino relinquendum esse putauit, et laborum multitudo, quibus iam distrahor fin magnis admodum, multis tamen concatenatis. Publicum eiusdem defendenda certamen non magis precor quam auguror felix et fortunatum. Atque, ut illum laborem iam subis et litterariae huius contentionis certissima utilitate inductus, et clementissimi PATRIAE PATRIS sapientissimo mandato obtemperatus: sic laetissimos TIBI eiusdem fructus et aequos peritosque ingeniorum arbitrios opto et polliceor. DEV M. O. M. supremum rerum humanarum moderatorem deprecor, ut sua in TE collata beneficia perpetuet et magis in dies magisque adaugeat, atque dominam TVAM omnemque operam TIBI ac sacrae ciuitati salutarem fieri iubeat. DED, prid. cal. febr. an. MDCCXXXVI.

LIT-

AD DISPVTATIONEM THEOLOGICO - MORALEM

DE

GRADIBVS (*) PECCATORVM

QVAM

D. IIII. ID. SEPTEMBER. ANNO CLIX IO [CO]XXXVI.

HABVIT

RESPONDENS

IO. ANDREAS EILERS

BRANDEB.

RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIC.

PRAESES.

In signem mihi voluptatem attulit vtrumque consilium, quod cepisti, et ab academia nostra ante non discedendi, quam specimen publicum ederes tam ingenii, quod a natura eximum habes, quam progressuum in bonis litteris factorum, et argumentum dispu-

R 4

tatio-

(*) Altera est disputatio, quam VIRO SVMME REVERENDO emendatam atque amplificatam debemus. Ratio differendi ex proemio a doctissimo respondentie disputationi praemisso satis innotescit. Tractatio, inquit, in quatuor partes divisa est, eo ordine ut prima sectione introductory, fundamenta reliqui laboris rite ponantur; secunda argumen-

tationis diligendi sollicita meditatione omnino non indignum, atque ad doctrinam de peccato pertinens,

gumenta ipsa sententiam nostram probatura commemorarentur, tertia vberior explicatio eorum, ex quibus gradus peccatorum aestimandi sunt instituuntur, quarta denique conjectaria potiora quae ex antecedentibus fluunt proponantur. Tertia sectio in primis foecundissimas grauitatem peccatorum aestimandi regulas suppeditat, quarum potiores dumtaxat recensere liceat. Ad quinque nimirum classes §. XXX. refertur, quidquid in peccatis occurrit inaequale, et graduum diueritatem admittit: unde variae non minus quam indubiae enascuntur regulae, scilicet:

I. Ratione caussarum peccati et quidem

1) Subiecti eiusque

a. Status interni. 1) quo quis praestantioribus animae facultatibus habebusque aliis antecellit, eo grauius illis delinquit in eodem peccato committendo. 2) quo quis maiori rerum diuinarum cognitione, eiusque vel obtainendae, vel adangendae occasione utitur, eo grauior est peccatorum reatus. 3) quo quis a viribus supernaturalibus instructior est, eo maiorem reatum peccando incurrit. 4) quo quis plus beneficiorum DEO se debere pactisque et foedere solemnius saepiusque iniurias eidem obligari intelligit, eo grauiori reatu laborat, dum peccat. (§. XXXI.)

β. Status externi. 1) Quo quis maiori opportunitate bene agendi gaudet, eo culpatius peccato quam negligendo, vel contrarium agendo. 2) Quo quis maiori dignitate sive exempli auctoritate valeat, eo grauius peccat, dum ea vel plane non, vel male utitur (§. XXXII.)

y. Par.

tinens, quam in scholis dogmaticis et moralibus non sine ratione vberius explicare soleo. Non

R 5 defui

γ. Partis peccantis. 1) Peccata externa in se considerata grauiora sunt iisdem intra animum dumtaxat commissis. 2) Quo quis plura corporis membra, animique facultates maioresque viriusque partis vires, atque earundem fortitudinem contentiōnem peccato impedit, eo grauius delinquit. 3) Peccata ex consuetudine obscuraque impetu profecta grauitate cedunt peccatis ex praesenti determinatione mentis illegitima ortis, ipsae tamen consuetudines et peccata habitualia longe praecllunt actibus prauis transiuntibus. (§. XXXIII.)

2) Motiuorum. 1) Peccata, quae cum conscientia erronea, atque multo magis ex eadem peraguntur excusiora sunt peccatis sine conscientia aut contra eamdem commissis. 2) Seducti ab aliis maiorem excusationem habent iis, qui semetipsi seducunt. 3) Quo leuiora et incertiora sunt peccatorum motiva, eo maiorem culpam incurrint, qui illis ad delinquendum mouentur. 4) qui ob malum ad parentes peccat, excusatio est eo, qui bonis ad parentibus ad peccandum adducitur. (§. XXXIII.)

II. Ratione obiectorum et quidem

1) Obiecti personalis. 1) peccata, quibus DEVS directe violatur grauiora sunt contra nosmet ipsos aliosque commissis. 2) Peccata contra nosmet ipsos perpetrata grauitate excedunt contra alios perpetrata. 3) Quo quis proprius ad illos pertinet, aut eos ad se pertinere intelligit, eo grauius delinquit eos laedendo. 4) Quo plures aliquo delicto laedantur, eo est grauius. 5) Quo arctius homines cum DEO cohaerent, eo culpatius laedantur. (§. XXXV.)

3) Ob-

defui desideriis tuis, sed quidquid partium
mearum esse existimauit, eo contuli, ut tibi,
PARENTI

2) Obiecti realis. 1) Peccata contra leges naturales grauiora sunt peccatis contra leges reuelatas et positivas commissis. 2) Quo plures leges simul violantur aliqua actione, eo illa est deterior. 3) Quo evidentior est aequitas legum actionumque mandatarum virtilitas, eo indignius violantur. 4) Quo magis frequens, evidens, et solemnis alicuius legis promulgatio et confirmatio facta est, eo cum grauiori culpa migratur. 5) Peccata commissionis grauitate antecellunt peccatis omissionis. 6) Quo sanctior et religiosior aliquae res est, seu cum DEO eiusque cultu arctius cohaeret, eo inexcusatius peccando profanatur. 7) Quo minus aliquis re indiget, quo alii non sine praesentissimo periculo et damno carent, eo grauius peccat auferendo, corrumpendo et absu[m]endo eamdem. 8) Quo maiori aliquis iure rem possidet, eo maiori iniuria eadem priuatur. 9) Peccata in animam superant in corpus peracta, utraque autem reliqua, quibus facultates et existimatio laeduntur. (§. XXXVI.)

III. Ratione formae. 1) Peccata voluntaria excellunt grauitate non voluntariis. 2) Peccata cum antecedente et consequente consensu peracta grauitate superant ea, quae per delectationem consequentem demum voluntaria sunt. 3) Peccata cum longiore deliberatione motuumque conscientiae suppressione fortiori commissa, grauiora sunt iis omnibus, a quibus hacc absuerunt. 4) Peccata praecepitantiae et insirmitatis grauiora sunt peccatis ignorantiae 5) peccata ex ignorantia commissa grauitate cedunt iis, quos ab ignorantia com-

PARENTI TVO plur. reuerendo, lectoribus atque adeo utilitati publicae satisficeret. Quare elaborationem, quam studiose confectam mihi exhibuisti, ita retractaui, emendatamque amplisicaui, ut argumento in clariore luce ponendo sufficere videretur, plura certe et limatiora forte adiecturus, si per temporis angustias licuisset, quibus me admodum sentio circumscriptum. Age igitur, aestumatissime EILERS, prouinciam TVAM pro virili exorna atque non solum in conflictu

committuntur. 6) Peccata letalia praegrauant mortalibus. 7) Peccata aliena proprie et proprius participata grauitate antecedunt propria peccata. 8) Quo quis longius, frequentius, vehementius peccat, aut saepius, fortiusque eodem peccato posita delectatur, eo certe grauius delinquit (§. XXXVII.)

IV. Ratione effectuum. 1) Quo magis gloria dei obscuratur peccatis, eo sunt grauiora. 2) Quo plura aliorum suspiria iniuriis illatis exprimuntur, eo grauius delinquitur. 3) Quo maiori scandalo cedit peccatum, eo grauius euadit. (§. XXXVIII.)

V. Ratione circumstantiarum. 1) manifesta et publica peccata occultis sunt grauiora 2) peccata in locis DEO eiusque cultui denotis commissa, turpiora sunt alibi peractis. 3) Peccata temporibus, quae DEO colendo officiisque obeundis consecrata sunt peracta reliquis alio tempore commissis praegrauant. 4) Peccata, quae post recessus a DEO prefectum beneficium cultumque ipsi praefitum aut insignem aliquam gratiae diuinae operationem praegressam exemplo peraguntur, ea excedunt granitate, a quibus haec omnia absunt. (§. XXXVIII.)

fictu litterario strenue tuere argumentum non
sine certissima victoriae spe defendendum, quam
TIBI et spondeo et ex animo gratulor, sed et-
iam, quod longe maximum momentum feret,
serio ad animum reuocā doctrinam grauissimam,
omnique viuendi ratione comproba non sine
fructu TE ipsius meditationi aliquot horas im-
pendisse. Sic demum inexcusatius errandi pe-
ricula eorum, qui a tenera aetate ad bonam men-
tem formati, a rerum diuinarum intelligentia
instructi, et sanctiore disciplina initiati sunt, ef-
fugies, et spem illorum omnium, qui DEI be-
neficia in TE cumulata magnificiunt, TVORVM in-
primis, atque meam simul, si non male de TE
meritus videbor, exspectationem implebis, ne-
que doctrinae quam imbibisti, et operae in hac
elaboratione collocatae vñquam TE poe-
nitebit. Vale rectissime. Ded. in acade-
mia fridericiana ad d. IIII id. sept. ann.
clo Io ccxxxvi.



AD

LITTERAE VI. 269

AD DISPVTATIONEM

DE

CONCILIO TRIDENTINO

QVANTVM PER ILLVD

MELIOR DETERIORQUE FACTA FVERIT
ECCLESIA ROMANA

QVANTVMQVE EX EO

NOSTRA ECCLESIA CEPERIT

EMOLVMENTI

QVAM

PLACIDO ERVITORVM EXAMINI SVBMISIT

AVCTOR DEFENDENS

AD DIEM XXIII. SEPTEMBR. A. C^o 15 XXXVII.

GEORG. LVDOV. ROLOFFIVS.

RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

Quum magnam semper delectationem capio ex praeclaris iuuenum erectorum studiis, qui litterarum academicarum stadium emensi ex illa animorum contentione non ante discedunt, quam in arenam descen-

descenderint disputatione solemni specimen virtutis et dexteritatis partae datūri, viresque ad altiora destinatas publicē periclitaturi et doctorum iudicio approbaruri: tum singulare plane et incredibili voluptate perfundor, si laborem cogito, quem in edendo hoc profectuum documento collocasti. Nolui illam tacitus apud me continere, quod et utilitatis publicae plurimi interesse putavi tuo exemplo alios ad diligentiam et virtutem inflammari, et hospitii atque amicitiae a parentibus acceptae leges id postulare videbantur, ut publice testatissimum facerem, qualem te cognitum iudicem, quantique a meis, non tam amore et consuetudine, quam optimo tuo merito. Quare sic defungar gratulandi, officio, ut rationes simul subducam et laetitia et spei de te conceptae, atque sic utramque iustissimam esse demonstrem. Primum laetor et optima quaevis spero de ingenio tuo, quod a natura DEI beneficio excellens habes, multaque industria cultum et perpolitum, de flagrantissimo in bonas litteras sacras in primis, ardore, de eximia mentis bene animatae indole moribusque ingenuis et ad honestatem compositis, atque de progressibus in doctrina omnius disciplinarum olim profutarum genere factis. Quae vniuersa tres annos in hac bonarum artium feds peractos, ita omnibus, qui te nouimus et complexi sumus, probasti, ut de laudabili bene agendi studio aequalium Tvorvm concederes nemini.

Dein-

Deinde hac TVA elaboratione admodum delector. Postquam enim ipsarum doctrinarum caelestium cognitione imbutus, ad controuersias, quibus impugnantur, et ciuitas DEI misere turbatur, curatius examinandas accessisti, de disputatione publica ante abitum habenda sollicitus, bene fecisti, si quid iudico, quod ex illis argumentum selegisti, ipsa temporis opportunitate et amplissima utilitate gratum omnibus acceptumque futurum, atque cum aliqua necessitate TIBI imposta coniunctum satis multa doctrinae et historiae sanctioris capita studiosius perquirendi. Quanta vero industria in eo explicando versatus sis, ipsam testor dissertationem, quam proprio marte conscriptam sine emendationibus et accessionibus meis TIBI reddere malui, quam profectuum TROWVM ea significandorum fidem dubiam facere. Quam ob rem si quid confirmationis et illustrationis alicubi addendum esse videbatur, illud omne in notas conieci, TVASQUE obseruationes ita auxi, ut ipsa tractatio TVA maneret. Neque dubie spero, quin eudem TE in conflictu praestiturus sis, quem sub celeb. FRATRIS TVI moderamine ante sesquiannum et quod excurrit, pugnantem TE vidi, aliisque exercitiis exploratum habeo. Praeterea summe venerandi PARENTIS, et mea ipsiusmet caussa de studiorum hic tractandorum cursu feliciter confecto vehementer etiam atque etiam gaudeo. Ita enim arctioris amicitiae et beneficiorum vinculo venerabili

rabili PATRI TVO adstrictum me sentio, vt eius
 fortunam meam paene existimem. Quare quo
 rario viris de re sacra meritissimis et ultra me-
 dioeritatem euectis ea obtingit felicitas, vt filios
 habeant paternae virtutis aemulos et omni fa-
 miliae calamitate careant: eo maioris aestimo et
 pie veneror diuinum fauorem, qui et FRATRIS
 celeb. iam professoris francofurtenfis et TVA studia
 ex voto felici a et fausta esse iussit. Mihi vero gau-
 deo, cui ad eo felici esse licuit, vti in TE formando
 curandoque non dicam gratiam referrem, cui num-
 quam par ero, aliquam tamen partem curae a PA-
 RENTE TVO in me olim parentibus orbo iuuando
 ornandoque positae imitarer, filiumque mihi tra-
 ditum a periculis academicis immunem, et sanctio-
 ris doctrinae cognitione instruictorem, laeta mente
 et praeclera quaeviis praesagiente redderem. Non
 TIBI magis, mi ROLOFFI, et PATRI TVO, quam mihi
 hanc felicitatem gratulor, DEOQUE acceptam re-
 fero, a quo votorum etiam pro beneficiorum
 in TE collatorum perpetuate et incrementis
 conceptorum me benignissime damnatum iri
 confido. Quod reliquum est, suauissime RO-
 LOFFI, quam ingressus es studiorum laborumque
 viam indefessus insiste, DEO TE vindica, de ciui-
 tate sacra bene merere, domestica virtutis ex-
 empla imitare, TVAM rem rectissime age, mei-
 que si meritus fuero, memor vite et vale.
 Dedi in frideriana die xiiii cal. oct.
 gls 15 ccccxxvii.

AD

LITTERAE VII.

273

AD DISPUTATIONEM HISTORICO THEOLOGICAM

DE

PATRVM PRIMITIVAE ECCLESIAE

FELICIORI SVCESSV

TAM IN

PROFLIGANDA GENTIVM SVPERSTITIONE

QVAM

CONFIRMANDA DOCTRINA CHRISTIANA

QVAM

D. XV. QAL. SEPT. AN. CIO IO CCXXXVIII. HABVIT

IO. MELCHIOR GOEZE

HALBERSTADIENSIS.

VIRO

MAXIME REVERENDO ET DOCTISSIMO

IOAN. HENRICO GOEZIO

SACRORVM ASCANIENSIVM AD AED. S. STE-

PHANI ANTISTITI ET SCHOLAE INSPECTO-

RI VIGILANTISS.

SAL. PLVR. DIC.

SIG. IAC. BAVMGARTEN.

Mirari te nolim vir plvr. rev. quod sine
vlo sermonum vel epistolarum commer-
cio

cio tecum umquam habito primis his a me litteris publice compellaris. Fecit hoc singularis in optimae spei filium TUVVM amor meus, ut et ipsum in publicam lucem academicam cum eximio diligentiae ac profectuum specimine, prodeuntem, redditumque ad TE meditantem sine aliqua iudicii mei ac voluptatis ex ipso captae testificatione dimitendum, et quanti a me fia excellens ipsius ingenium litteris gnauiter cultum cuiquam significari rectius quam TIBI, non putauerim. Ex quo enim post bonas litteras IENAE feliciter tractatas in nostram disciplinam concessit mihi familiarius innotuit: ingenuos mores, erectiorem animi indolem, veri rectique studium et laudabilem proficiendi ardorem deamare, atque praeclera quaevis de ipso sperare coepi. Neque adhuc fecellit hanc exspectationem, sed indefessus in eo elaborauit, ut non solum pericula vitae academicae praeteriret, verum etiam rem suam recte ageret, doctrinis ad publicam utilitatem olim profuturis imbueatur, et in rerum sacrarum cognitione vterius quam a plerisque fieri solet, progrederetur, atque cum oraculorum diuinorum interpretatione et doctrinarum diuinitorum reuelatarum meditatione, quibus princeps ut decet studium ad dixit, et propaedeumata et rerum in ciuitate sacra gestarum, omnisque antiquitatis sanctioris inuestigationem, quo lumine theologus aegre carebit, sedulo coniungeret. Quam bene ipsi id
ces-

cesserit dissertatio haec publica testatissimum facit. Argumentum, quod ipse elegit, et proprio studio discussit, cuius facile probabitur, qui cogitabit, quanti referat ad amplificandam rerum diuinarum cognitionem, ipsumque ciuitatis sacrae emolumentum, antiquitatis sanctioris monumenta a pluribus verlari, atque in pretio iisdem statuendo media inter duo extrema tam superstitionis venerationis quam supercilii et ambitiosi contemtus via incidi. Malui igitur huic ipsius consilio non deesse et dissertationem nonnullis dumtaxat obseruationibus meis subinde amplificatam integrum ipsi relinquere, quam alia suadere meamque omnino facere, atque sic laudabile scrutandi verustiores libros, conandique aliquid in dijudicandis sobrie antiquioribus sententiis, studium penitus suppressum, fore arbitratuſ ut primae hae lineae feliciter ductae et ipsi industrio auctori et aliis eas lectruris ad vteriorem monumentorum antiquorum lectionem sint incitamento futurae, quam in tanta studiorum festinatione plerisque hodie sordere mirifice doleo. Habet iam VIR. ADM. REV. quorum te a me certioreni fieri, TVA potissimum meaque interesse mihi visum est. Quare diutius te non detinebo, sed scribendi finem faciam, si tribus verbis TIBI filium, stadium litterarum academiarum feliciter emensum gratulatus, DEVMPQUE O. M. deprecatus fuero, vt haec dona sua perpetuet, TIBIQUE et filio bene omnia et ex voto

S 2

eu-

euenire iubeat. Ita vale VIR MAX. REVER. mihique faue. Dedi HALAE propter SALAM in acad. frideric. d. xv. cal. sept. an. cīo lo CCXXXVIII.

AD DISPVVTAT. THEOL.

DE

DISCRIMINE EIVS QVOD
NATVRALE ET MORALE
DICITVR IN THEOLOGIA

QVAM

D. XV. DECEMBR. AN. Cīo lo CCXXXVIII. HABVIT

AVCTOR

GEORG. FRID. (*) MEIER

RESPONDENTI

AESTVMATISSIMO

SAL. PLVR. DIC.

PRAESES

Non concedam vt, quod aliis in arenam academicam a me deductis praestiti, gratulationis publicae officium in TE amicissime MEIERE, iam desideretur. Ita enim

(*) Pro subacto, quo valet iudicii robore lectiones in primis mathematicas singulari dexteritate dare coepit, summos in philosophia honores strenue adsequutus.

enim me obseruasti complures annos, ita mihi approbasti ingenium excellens, mentem bene animatam et virium contentionem, ita mihi singulas muneris publici partes obeunti assiduus comes adhaesisti ultra lustrum, siue libros diuinatus in litteras relatos interpretarer, siue doctrinas sanctiores docerem, siue officiorum praecepta inculcarem, siue controversias sacras explicarem, siue viam ad sermones solemnes pandemer, siue antiquitates et vicissitudines ciuitatis christianaen enarrarem, siue disputationibus, examinibus, elaborationibus scriptis et sermonibus habitis auditores exercerem: vt fidem meam, in quam concessisti, destituere mihi viderer; si TE academicarum litterarum stadium iam emensum et in lucem publicam cum eximio profectuum specimine prodeuntem non comitarer, aut testimonio virtutis TVAE cognitae mihi atque perspectae non prosequerer. Accedit parentis TVI admodum reuerendi iucundissima consuetudo, quem tanti facio, vt mihi nihil putem praetermittendum quod illius intersit. Quare ipsi filium praecocis doctrinae et optimae spei, TIBI insignia DEI dona in TE collata, tirocinia litterarum praeclare posita, et dissertationem denique hanc TVAM laetus et ex animo et vere gratalor. Argumentum quod discutiendum sumisti nemo improbat, qui offensiones nouerit circa hos terminos technicos olim et recens exortas, aut reputauerit quanti referat, ad fugienda

S 3

bella

bella triumphos non habitura, et puriorem doctrinam a cauillationibus, infidiis et impugnationibus vindicandam, scrupulos etiam varios animis eximendos, ut termini, quos in linguarum inopia ad res natura distinctas nobis aliisque distinguendas adhibemus, vagi nonnumquam ab ambiguitate liberentur, eorumque significatus suis limitibus circumscribatur. Certe, si quid videmus, non adeo haesitatum fuisset a nonnullis in efficacia et operationibus tam verbi diuinorum quam sacramentorum utrisque naturalibus et moralibus admittendis, si ab omnibus recte et satis intellecti fuissent hi termini. Quam ob rem mihi non displicuit consilium, quod cepisti, eos distincte explicandi. Elaborationem neque immutaui, neque accessionibus auxi, ut apud omnes dexteritatis Tuae iudicium eo rectius constaret. Spicilegium, quod huic epistolae destinaueram historicum, adiicere superfedeo: quod nimis iam excreuit ipsa disputatio, et variis nunc destineor occupationibus, quae ne horam quidem vacuam relinquunt. Tribus igitur verbis me expediam. Age mi M E I E R E, in conflicitu solemini eumdem te praesta, quem ego et committones tui disputantem saepius cognouimus. Tramitem virtutis, quem ingressus es, religiose et sancte per omnem vitam DEO vindicatus decurre. Viribus valerudinis infraetiae instauratis rem tuam e re ciuitatis litterariae age feliciter, atque si non male de te merebor me non

non dilige sed ama. Dedi in acad. frideric.
d. xv. dec. cīo Io ccxxxviii.

AD DISSERTAT. THEOL.

DE

ἀναμαρτυρίας

AB HOMINIBVS IN HAC VITA
NON OBTINENDA
QVAM CONTRA AVCTOREM DER VN-
SCHVLDIGEN WARHEITEN.

VINDICAVIT

PRID. ID. JANVAR. cīo Io ccxxxviii.

AVCTOR RESPONDENS

ERNESTVS FRIDER. KESSELRING

HRVSSVS.

AESTVMATISSIMO

KESSELRINGIO

SAL. PLVR. DIC.

PRAESES.

Gratum mihi vehementer fuit consilium,
quod cepisti, ex disciplina nostra non
discedendi sine publico tirociniorum
praecclare positorum documento. Ex
quo

S 4

quo enim hic concessisti, mirifice delectatus sum ingenio, quod DEI beneficio a natura habes ad litteras eximum et gnauiter politum, laudabili virium contentione, animo salutarium doctrinarum cupido, iisque in sanctiori eruditione progressibus factis, ut facile constaret, non illoitis te manibus, sed propaedeumatibus rite initiatum a praceptoribus, quos in academia patria habuisti prudentissimos, intra sindonem et ad interiora rerum diuinarum sacra admisum fuisse. His fundamentis ita iactis apud nos superstructuro quam bene tibi cesserit singularis opera scholis exegeticis, moralibus, polemicis et disputatoriis data ad amplificandam litterarum diuinarum copiam, rectius omnino significari non posse existimauit quam disputatione publica. In qua conscribenda breui admodum temporis spatio, nullae fere, exiguae saltem, fuerunt partes meae. Satius enim putauit ad iudicium de profectibus tuis ab omnibus eo certius facendum tuas tibi reddi meditationes, quam multum illas immutari. Quare quam mihi exhibuisti elaborationem quoad per negotia, quibus iam distineor, fieri potuit, ita retractauit, postremam in primis sectionem, ut et tua maneret, et arguimento succincte differendo satisiceret. Spem meam scribendo non fecelliisti, neque dubito, quin exspectationem et meam et omnium, qui te saepius disputantem audiuerunt in solemnis conflictu, nullus sis destituturus. Doctrina,
quam

quam disputas, ardua certe est, nostrisque temporibus vindicanda omnino ab impugnationibus, quibus varie laceffitur. Seditionum bellorumque ciuilium in populo CHRISTI gestorum historia indubie commonstrat, adeo arcte cohaerere hanc doctrinam de corruptione hominum naturali et peccatis inde enatis, cum gratuita iustificatiōe nostra per CHRISTVM, quae arcem purioris doctrinae constituit, vt neutra sine alterius periculo sollicitari vñquam potuerit. Quantum enim de satisfactione seruatoris vnice de nobis meriti detrahitur, tantum nobis gloriaeque nostrae arrogatur, immo vt cum aliqua specie CHRISTI obedientia vicaria minus indigere videamur, de ipsa lege diuina abrogatur, experientia contrarii comprobante verissime PAVLLVM edixisse, vel ipso hoc sensu *legem erigi* et stabiliſſi fide ROM. III comm. XXXI. Nemo itaq̄e vitio vertet iis, quibus sanctioris doctrinae casta puritas curae cordique est, si ex erroribus vel leuissimis primum visis in constituenda peccati natura iustificationi CHRISTIQUE merito periculum imminere suspicantur. Atque haec ipsa ratio facit, vt temporum, in quae incidimus calamitatem doleamus, quibus opinio de *ἀναμετρησίᾳ* hominum DEO vindicatorum animos multorum peruersit, et late per viscera nostra grastatur. Non vna quidem omnibus, qui in hunc errorem transeunt sententia sedet: ipsi potius, quod errantibus solempne est, in partes discedunt,

dunt. Sunt qui solis regenitis post longum iter,
quod paucorum est, et labores exantatos, con-
uersionem, sanctificationem, iustificationem
et renouationem emensis illam vindicant: atque
in eo periculosius errant, quod omne peccandi
periculum a regenitis penitus abesse pronun-
tiant. Alii tamen rationes aliter subducunt,
omnibusque ad DEVUM sincere conueris internum
peccatum eiusque reliquias ita abiudicant, ut
illis ab externis ad peccandum sollicitationibus
cauendum esse, simul edicant, ne quod primis
parentibus accidit, ad legem violandam indu-
cantur. Viderentur hi posteriores excusati et
minus periculose errare, atque formulis magis
quam sententiis a puriore oraculorum diuinorum
doctrina disfidere: nisi ipsa peccati in vniuer-
sum omnis notio simul conuelleretur, depraua-
tio naturae ad infantes hac praerogativa praedi-
torum transmittenda negaretur, atque perpetua
CHRISTI imputatio ad praegressorum quidem pec-
catorum reatum delendum necessaria, a peccati
immunibus certo satis excluderetur. Quare licet
aduersarius, cui in hac dissertatione proxime ob-
uiam itur, ad priorem ordinem pertineat: po-
steriori tamen errori eadem opera satisfit; iis-
dem enim armis vtrique pugnatur. Exceptio-
nes et argumenta, quorum nulla in dissertatione
mentio facta est, facile concident, si speciosiora,
quae ab hoc aduersario errori praetenduntur,
discussa fuerint. Neque sanctitatis et pietatis in

DEVUM

DEVM hac doctrina prouehendae praetextu imponi sibi temere patientur, qui de salute sua vere solliciti, siue sibi consciit nec dissimulare quae sentiunt, nec vocibus ludere voluerint, obseruauerintque numquam felicius secum agi, quam si semetipos indignati peccata quotidiana sanguine CHRISTI apprehenso expiauerint atque ex eodem fonte incitamenta et vires DEVM colendi officiumque peragendi desumserint. Sed manum de tabula! Epistolam scribo, non librum. Ipse DEVS malis domesticis medicinam parabit prouidebitque ne quid, res sua detrimenti capiat. Ego vero ad TE redeo, *amicissime KESSELRINGI*. Gratulor TIBI labores academicos, doctrinam singularem, et ipsam spem, quam omnibus, qui TE norunt, fecisti. DEVM TIBI comprecoor praesentem et propitium, ad eam implendam, bonis litteris et utilitati publicae proficuam operam nauandam, TVAMQUE rem, quoad viues DEO vindicatus sancte et feliciter agendum. De me TIBI recipio, numquam officiorum, quae ab homine TVI amantissimo proficiisci possunt, quidquam in me desideratum iri. Ita vale in rem TVAM, meique memor viue. Dedi in acad. frideric. prid. id. ianuar. anni
QD^o IO. CXXXVIII.

AD DISPVATAT. PRIMAM

DE

SCRIPTVRA (*) SACRA

Q. V. A. M.

D. III. APR. C¹⁵ ID CCXXXVIII. DEFENDIT
AVG. ADOLPH. FOSGRAFF.

HALENSIS

RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIC.

P R A E S E S.

Diu admodum detinui patientiam TVAM
aestumatissime FOSGRAFF! Aliquot
enim iam menses effluxerunt, ex quo
huius tibi dissertationis conscribendae
fidem dedi, citius liberandam, si apud me stetis-
set, TVQUE eis defensionem publice recepisti.
Cuius

(*) Egregiam hanc disputationem indefessae D. BAYM-
GARTEN eiusque incredibili de ciuitate diuinabene-
merendi studio totam debemns. Argumentum, cui
vnica hac disputatione satisfieri non potuit duabus
in posterum dissertationibus continuabitur. Fi-
dem illius rei faciunt ultima praeftationis verba:
Prima haec de diuinitate sacrae scripturae agit,
quae proxime sequentur duae idem continuabunt
argumentum, quo finito, ad inspirationem eius-
dem progrediemur. Veritas grauissimae huius
doctri-

Quius morae eo facilius et ipse veniam dabis,
et tecum reliqui commilitones nomen suum
apud me professi harum disputationum exerci-
tium subituri, quo exploratus habetis non
taedium disputandi neque fugam laboris, sed
negotiorum multitudinem hanc mihi molestissi-
mam tarditatem imperasse. Nam ut reliquos ex-
traordinarios labores non commemorem, neque
mentionem iniiciam disputationum ab aliis elab-
oratarum, quibus ultimam limam admoui, ipsae
scholae publicae, priuatae et privatissimae alio-
rum voluntate non meo consilio hos menses cu-
mulatae effecerunt, ut raro mei iuris fuerim.
Fore speraueram interea, ut ferias nactus cura-
tiore scriptione exspectationis taedium redime-
rem: sed quum nonnulla et hanc spem frustra-
tura viderentur, satius duxi laborem accelerare
imo praecipitare, quam arbiturientem te diutius

mo-

doctrinae firmissimis quidem, sed domesticis pro-
ximisque ex theologia potissimum naturali de-
sumtis stabilitur argumentis. Ab illis nimirum
VIR SVMME REVERENDVS est alienissimus, qui omnium
dissertationum primordia semper a principio,
quod vocant, contradictionis ac rationis suffi-
cientis capienda esse praeposta sibi ratione per-
suadent. Testatur illud disp. (§. XXI.) Ab illo-
rum confuetudine plane abhorremus, inquiens,
qui haec principia prima (ontologica et logica)
ubique crepant, eo negligentiores plerunque futuri
in proximis et domesticis scientiarum principiis,
quo operosis in remotioribus his doctrinis sibi fa-
miliaribus et evidentioribus elaborauerint.

morari. Verum haec satis de me. De methodo, quam in disputatione sequutus sum, sic habeto. Operam me dedisse, ut et argumento satisficeret, ex lectoribus, quibus proxime destinata est, consuleretur, eamque ob rem omnia naturali ordine disposita explicata et rationibus stabilita sine ambagibus proponerentur. Fatum est hoc consilio, ut lemmata aliarum scientiarum eaque paucissima breuissime adduxerim, libris qui eadem demonstrant humquam allegatis, quod obuii sunt, omnibusque satis noti: in reliquis etiam testes sententiae meae nusquam excitauerim nisi in argumentis historicis, vbi ad fidem faciendam iis opus esse putaui, et ubique media via processerim inter prolixitatem excursionibus refertam et breuitatem concisiorem obscuritatem paritaram. Bene multa igitur fateor praeterii, sine necessitate letores late circumductura: plura ad sequituram tractationem distuli et reseruauui, non sine iactura coniunctionis hic anticipanda. Discessi subinde ab aliorum sententiis sed modeste propositisque rationibus. Vtrum operae pretium fecerim, iam alii iudicent, exspectatis tamen duabus saltem disputationibus proximis idem hoc argumentum de divinitate scripturae sacrae continuaturis, in quibus mihi constabo. Ad te tandem venio pereximie respondens. Gratulor tibi et cursum academicum exspectatione felicius confectum, et progressus in sanctiori doctrina factos, et hoc denique specimen publicum

blicum quo dexteritatem scientiamque omnibus,
qui te audient, ut spero approbas. Faxit DEVS
o. m. vt sanctissimam doctrinam, quam defenden-
dam suscipis, animo foueas, opera tuearis et
vita exprimas, enixissimo scripturae facrae stu-
dio per omnem vitam feraris eique te totum
vindices, atque adeo diuinitatis eiusdem et salu-
taris efficacie testis ac viuum et spirans docu-
mentum euadas, deoque propitio fruaris aeter-
num. Ita vale et age feliciter. Dedi HALAE
propter SALAM in acad. frideric. d. v. cal. april.
 anni cīo IO CCXXXVIII.

AD DISPVT. THEOL.

PAEDOBAPTISMI

DEMONSTRATIONEM ET VINDI-
CIAS.

CONTRA AVCTOREM

DER VNSCHVLDIGEN WARHEITEN

EXHIBENTEM

QVAM

IPSIIS IDIB. APRIL. AN. Cīo IO CCXXXVIII.

AVCTOR

M. IO. FRID. KLEINSCHMIDT

LIPPIA GVESTPHALVS.

CLA-

CLARISSIMO
 ARTIVM MAGISTRÓ
 KLEINSCHMIDIO
 SAL. PLVR. DICIT
 P R A E S E S

Polixissimam aduersus te voluntatem meam in angustias redigit prolixior disputatio tua, quae longiorem appendicem aegre ferre videtur. Paucis igitur defungar officio. Gratulor tibi beneficia, quae deo o. m. accepta refers bene multa, excellens ad litteras ingenium gnauiter cultum, mentem eximie animatam, morum suavitatem, doctrinam solidiorem ad omnem vitam et emolumenta publica profuturam, iter academicum caste impigre laureaque accepta confectum, et hoc denique specimen dexteritatis publicum. Quibus ego adeo delector, ut si a parente tuo, viro maxime reuerendo, discessero, cui merito suo primas deferro, de voluptate ex te capienda concedam nemini. Ita te deamare coepi, ex quo incredibile studium in communes litteras mihi approbasti, compertamque habui et exploratam in te diuturniorem virium contentionem, quam quae praecocibus ingenii progressuum factorum consciis inesse solet. Ita me tibi deuinxit gratissimus labor, quem mihi factitauit inexpli-

explebilis TVA selectorumque commilitonum proficiendi cupiditas, cui subinde vix suffeci prae-eundo doctrinas publice, priuatim, priuatissime. Facit illa studiorum coniunctio et amor in TE meus, ut disputatione solemni scientiam sanctiorem demonstraturum in arenam comitari non dubitem, consuetudini twoque desiderio satisfactorus magis, quam necessitati consulturus. Facile enim praeuideo, non maiores in publico conflictu partes meas futuras, quam in conscribenda dissertatione, hoc est, exiguae et nullas omnino. Nam in elaboratione relegenda lituris accessionibusque penitus mihi temperauit consulo, ut integrum certumque lectoribus de eruditione TVA iudicium constaret, et quod intellexi, causam te ita perorasse, ut me consilii dati necdum poeniteat, planeque sperem fore, ut apud aequos rerum arbitros rem obtineas. Age iam, clarissime KLEINSCHMIDI, domum redux, ingenii litterarumque opes DEO consecratae explica, tramitem studiorum, quem ingressus es, decurre per omnem vitam feliciter, ere litterarum, quibus cupio, puriori et salutari doctrinae ad alios transmittendae TE vindica, ad bene merendum de ciuitate sacra enitere, amorisque nostri memor viue. Vale. Dedi in frideric. ipsis idib. april. an. cl^o lo cccxxxviii.

T

AD

LITTERAE XII.

AD DISPVT. THEOL.

DE

POLYGAMIA SIMVLTANEA IL-
LEGITIMA

QVAM

D. VIII. SEPT. AN. CLO IO CCXXXVIII. DEFENDIT

AVCTOR

BENIAMIN CHRISTOPH. HERMANN

GRÜNEBERGENSIS MESO-MARCH.

RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIG.

PRAESES.

De disputatione tva et laetor, et doleo,
 et tibi gratulor. Laetor operam in ar-
 gumento arduo feliciter positam, cau-
 famque difficilem e re utilitatis publi-
 cae actam. Hostes enim debellandi in MVHA-
 MEDANORVM castris oppido quaerendi non sunt,
 sed proprius imminent. In ipso CHRISTI populo
 non defuerunt, qui se polygamiae patronos
 profiterentur. Ut anabaptistarum monasterien-
 sum furores praetereram, neque HVLDRICI NEO-
 EVLI dialogum de digamia commemorem, qui
 an. CLO IO CCXXXI prodiit: primus hoc bellum mo-
 uit cum strepitu BERNHARDINVS OCHINVS in dia-
 logo

logo de polygamia, qui inter XXX dialogos italicice scriptos et à SEB. CASTALIONE latine redditos XXI est. Breuem libri historiam exhibet PET. BAYLE in lexico sub voce *ochin* lit. k. longiore obseruationem halensium tom. V. obs. 1. auctoris vero tom. III obs. XX. Hunc excepit JO. LYSERVS, qui duobus scriptis vno iterum tertiumque edito sub fidis THEOPHILI ALETHAEI, ATHANASII VINCENTI, GOTTLIEB WAHRMVNDI, SINCERI WAHRENBERGII nominibus generi humano polygamiam persuasum iuit. Praegressos superauit LAVENTIVS BEGERVS, seu ut personatus prodire maluit DAPHNAEVS ARGVARIVS graece verso priore nomine, latine altero, aliquantum tamen immutato ut in appellatiuum boeger transformaretur. Is a CAROLO LUDOVICO electore palatino non iussus solum sed argumentis etiam studiosissime conquisitis instructus, quidquid in hanc rem dici potest, ita exhaustus, ut pessimam causam optime egisse merito videatur. Historiam libri, quo multi admodum sibi imponi passi sunt, narrant IO. FABRICIVS in *histor. bibliothec. tom. V pag. IIII*, IO. KLEFEKER in *bibliothec. eruditior. praecoc. p. XXV*, CHARLES ANCILLON *memoires p. CCCXXXVI. &c. NICERON memoires tom. IIII pag. CLXXII &c. bibliothec. reimmanian. IIII p. DCLXXXVII*, VINCENTII PLACCHI *theatr. pseudonym n. CCXXV I et CCLXXVII, et IO. VOGTI catal. libr. variorum pag. XXXXI.* Apprime igitur doctrinae huic consuluisti, quod item con-

T 2

testa-

testatus hunc tibi aduersarium elegisti. Qui
praeter hos trium viros huc referri solent, vel
obiter rem tetigerunt, vel de fundamento ne-
cessitatis monogamiae, licitaque polygamiae di-
spensatione disputatione, vel perperam nec sine
iniuria eo pertrahuntur. Ad primam classem
plures pertinent, quam ut illorum census agi hic
commodo possit: ad secundam HIERON. BRUCK-
NERVS in *decis. iur. matrim. controuers. cap. XIIII*
§. LXI &c. et SAM. FRID. WILLEMBERGIVS cuius
controuersiam recenset CHRIST. MATTH. PFAFFIVS
in *hist. theol. litter. lib. II §. X not. zzz pag.*
CCCLXXXIII et 10. GE. WALCHIVS in controu-
eccles. luther. tom. III Sect. V. §. XXI
pag. CV &c. Neque minus his adscribendus fo-
ret IO. BODINVS, si eius sententiae, cuius a CHRIST.
BESOLDO de *tribus domesticae societatis specieb.*
cap. I. n. VII accusatur, ex locis allegatis reus
agi posset, quod pernegatur obseruat. balens.
tom. VI obs. II. Cuius litis historicae et her-
meneuticae quidquid demum fuerit, ipsa certe
sententia de licita polygynia in casu abundantis
alicubi insigni numero sexus feminici, rectius
non conuellitur, quam hac demonstratione ae-
qualis utriusque sexus hominum numeri. Ex
terio ordine unum dumtaxat nomino MART. LV-
THERVM, quem tam ob loca quaedam iniquius
intellecta ex *tom. I lat. ienens. fol. CCCCLXXXVI*
&c. tom. II. germ. ien. fol. CXXXXVII &c.
tom. III. germ. fol. LXXXXV &c quam ob caus-
fam

sam PHILIPPI HASSIACII polygamiae propugnatoribus adnumerant plerique pontifici, in primis recentiores ANT. VARILLAS in *bist. haeref. lib. XII p. LXXXVII iac. BEN. BOSSVET de variat. eccles. protest. lib. VI. pag. CCXXVI.* et ANT. ARNALDVS *pract. mor. iesuit. part. III cap. XVII,* quid quod ipsi obseruatores halenses *tom. II. obs. I. §. XVIII &c.* qui eumdem cum OCHINO eadem sentientem contendunt. Sed prioribus accusationis momentis satisfecit IO. MOLLERVS in *LVTHERO defenso cap. VII §. LXVIII &c. p. LXI &c.* et in *defensione LVTHERI defensi p. CXXXXVI &c.* posteriori *VIT. LVD. a SECKENDORFF in commentar. de LVTHERAN. lib. III. sect. XXI. §. LXXVIII addit. III p. CCLXXVII &c.* Verum, quum rationibus non auctoritate res efficiatur, bene egisti, quod argumentorum delectu habito ea omnia explicasti et confirmasti, quae aliquod momentum trahunt, atque nouum illud ab aequali hominum diuersi sexus numero desumtum cuiusdam dedisti. Cuius recentiores scriptores bene multi mentionem quidem iniiciunt, demonstratum tamen nusquam legare memini. Ipse met illud *theol. moral. §. CLXX in obseru. accessoriis tantum adscripti*, quod instituti ratio longiore demonstrationem non admittere videbatur, quam hic a te exhiberi iure laetor. Habeo tamen quod doleam. Plenior enim prodi-tura fuissest dissertatio, si ex proposito mensem huic labori destinatum illi impendere, atque scri-

T 3

ptum

ptum perpolire et, ut aiunt, foetum lambere
TIBI licuisset, neque inopinata significatio voluntatis illustrissimi patroni, in cuius familiam concedis, a studiis iuuentutis in spem splendidissimae gentis et patriae adolescentis futurus, abitum praecepitari iussisset, atque praesidia historica valde multa litteris aliunde expedita intercepisser. Nihilo secius vere TIBI gratulor et laborem hunc exantatum, quem lectoribus litterarum gnaris et veri rectique cupidis sine dubio approbabis, et exoptatum studiorum academicorum finem, quae laudabili virium contentione in rem TVAM ipsarumque litterarum tractasti gnuuiter et feliciter. Conflictui publico interero spectator magis quam moderator. Maiores enim partes meas non fore arbitror et confido in defendenda disputatione, quam fuerunt in eadem conscribenda, atque adeo pene nullas. Bonis verbis supersedeo. Nec meus in TE amor, neque virtus TVA commilitonibus explorata satis et comperta testimonio indiget. Vale igitur, carissime HERMANNE, DEO O. M. ardentissime commendatus rem TVAM age rectissime. HALAE ad SALAM in acad. frider. d. vii sept. glo Io cccxxxviii.

AD

AD DISSERT. MORALEM

GRADVS

BONORVM OPERVM
ET VIRTVTIS
GENERATIM SISTENTEM

QVAM

PRID. CAL. OCTOBR. AN. CIC 15 CCXXXVIII.

DEFENDIT

AVCTOR RESPONDENS

SAMVEL DAVID GRVZMACHER

GLASSOVIA POMERANVS.

RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIC.

PRAESES.

Disputationem TVAM sine lituris accessionibusque meis TIBI reddo integrum. Non tam voluntate id factum est, quam, ut quod res est fatear, necessitate quae penitus mihi limam e manibus extorsit. Ipse iam sarcinas colligis, redditumque in patriam paras, quem cum detimento two morari nolui. Ego vero his diebus sic distrahor multitudine magis quam magnitudine negotiorum, quae praeter scholas quotidianas, abiturientium et ad-

T 4

uen-

uentantium ciuium commendationes, et typographorum operaे faceſſunt, vt nulla re magis iam caream otio, quo tamen ad dissertationem studioſe retractandam opus eſſe vnuſ omnium optime pueris. Satius igitur duxi, laborem tuvm intactum tibi relinqui, quam centonem confici, quem neuter ſuum agnoveret. Fini praeterea quem in conſcribenda dissertatione praefixum habuisti, ſufficere has lucubrations arbitror. Approbabis ſine dubio ingenium litterarum ſanctorum ſtudiis factos omnibus, a quibus haec cognosci et iſporum et tua intereſt. Neque lectorum exſpectationem fruſtraberis, quibus prima stamina et fundamenta exhibes doctrinae, ad omnem ſcientiam disciplinae ſalutaris apprime proficuae, quae facile amplificari extendi atque ad caſus peculiares applicari poterunt. Conflictum ſolemnen iure tibi omniſor felicem et vere gratulor. Vnum eſt amicissime GRÜZMACHERE! quod pro neceſſitudine noſtra te rogo vehementer, vt doctrinarum, quas diſputas, grauifimiarum memor ſemper viuas, ſanctori ſpiritus diuini moderamine et auxilio ad veram virtutem eiusque incrementa in dies maiora atque maiora ſtudioſiſſime enitaris, et quam praeceptoribus tuis in academia ſpem feciſti de ingenio, ſtudiis et animo tuo, per omnem vitam impleas, idemque ſtudium, quo in imbibendis doctrinis ſalutaribus elaboraſti, enixiſſimum

mum sedulo conferas, ad earumdem fructus
capiendos et ciuitati sacrae referendos longe vber-
rimos. De me caue existimes quidquam mihi
gratius fore aut iucundius, quam si de felici
rerum TVARVM conditione certior fieri eamque
confilio aut opera iuuare potero. Ita vale in rem
TVAM et publicae vtilitatis. Dedi HALAE ad SA-
LAM in acad. frider. prid. cal. octobr. an.
clo 10 CCXXXVIII.

AD DISPVT. IN AVGVR.
NOTIONES SVPERI ET INFERI
INDEQVE
ADSCENSVS ET DESCENSVS
IN
CHOROGRAPHIIS SACRIS OCCVRRENTES
EVOLVENTEM
QVAM PRAESIDE
D. CHRIST. BENEDICTO MICHAELIS
THEOL. ET PHILOL. S. PROF. O.
PRO CONSEQVENDIS SVMMIS
IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
AD D. XXVI. FEBR. AN. CLO 10 CCXXXV. DEFENDIT
RESPONDENS
ALEXAND. GOTTL. (*) BAVMGARTEN
BEROLINAS.
(*) Vide supra p. 189. T § ALE.

ALEXANDRO GOTTL. BAVMGARTEN FRATRI
S. D. P.

SIGISMUNDVS IACOBVS BAVMGARTEN
S. TH. P. P. O.

Ego vero tibi gratulor honores academicos, ab amplissimo philosophorum ordine decretos, quibus nihil est ad publicum diligentiae TVAE testimonium honestius, et ad paeclare in litteris proficendum, aliisque inferuendum accommodatius. Pro amore in te meo, hoc quidquid est litterarum ad te dandum esse putau, ut significarem, quanti a me fias ob bonam mentem et studiorum magis quam sanguinis communionem, quantumque felici industriae TVAE successu delecter, et publice simul TEMONEREM, de litterarum sanctorum stadio, quod a pueritia ingressus es, sancte in posterum decurrente, quo amplificandi honoris diuini finem consequaris felicissime. Reuoca tibi quaeſo ad animum, qua potissimum ratione nonnihil profeceris, quibus viis litterarium iter ad theologiam fatis expeditum adhuc habueris, et pleraque progrediendi impedimenta praeterieris, ut DEO O. M. cuius vnius beneficio haec tibi felicitas obtigit, gratias agas, et ab illo tramire per omnem vitam ne recedas, eundem aliis fideli exemplo praeiturus. Incidimus

dimus enim in ea tempora, quibus innumeris
iuuenes et sua et doctorum culpa cum magna tem-
poris, laborum et ipsius rationis iactura eas lit-
teras, quae reliquis fundamento sunt, et quas
sapientissimi maiores altiorum scientiarum ad
ipsam vitam et utilitatem publicam pro-
futurarum propaedeumata vocarunt, vel negli-
gunt omnino vel ita diuellunt, ut vni pro libi-
dine toros se immergant, reliquis cum contemtu
posthabitis, quae tamen omnes et cum cum disciplinis
superioribus et inter se cohaerent arctissi-
mme. Quotusquisque iam adolescens in hac
praecipitorum studiorum festinatione a la-
tinis et graecis litteris, eloquentia, poesi,
antiquitatibus, philologia, historia, mathe-
si et philosophia instructus ad theologiam, iurispru-
dentiam et medicinam properat, aut si quod
harum litterarum genus deperiit, ita tractat,
ut eius momento recte aestimato, ex fine et fru-
ctu inde capiendo, pro vsu praestando
et cum ratione addiscat? Quare postquam a
pueritia BEROLINI sub fidelissimo moderatore ad
hanc rationem informatus, ante septem annos
et quod excurrit in curam meam concessisti, san-
cte prouidi, ne propaedeumatum et deinde
theologiae partem aliquam penitus negligeres,
citius, magis, diutius tractares, quam utilitas,
nexus et ordo litterarum postulare videbatur.
Quod si non male TIBI in rem TVAM cessisse
comperisti, fructumque in altera propaedeuma-
tum

tum parte ex altera sedulo tractata, omnium vero
in theologia et diuinis litteris percepisti: has
leges coniungendi litteras natura sua sapientissi-
moque numine connexas, ne migres vñqnam,
philologiam cum philosophia tracta, omnia ta-
men ad theologiam ita refer, ut in eius solida
et salutari cognitione his eriam subsidiis proue-
henda religiosissime semper elabores. Ita de-
mum feliciter ages, ciuitati DEI, et rei sacrae
proderis et aeternitati viues. Dabam d. x. febr.
MDCCXXXV.

AD MEDITATIONES PHILOS.

DE

NONNVLLIS AD POEMA
PERTINENTIBVS

QVAS

AD D. XXIII. SEPTEMBRIS. CIO IO CCXXXV.

ERVDITORVM DIUDICATIONI SVBMISIT

M. (a) ALEXANDER GOTTLIEB BAVMGARTEN

RESPONDENTE

(b) NATHANAELE BAVMGARTEN

(a) Vide supra p. 189. (b) itidem summos in philosophia honores cum laude obtinuit, neque ita multo post BEROLINVM migrauit gymnasii illius correctoris uti vocatur vices subiturus.

FRA-

FRATRIBVS DISPVTATVRIS

SAL. PLVR. DIC.

SIGISMVNDVS IACOBVS BAVMGARTEN,

THEOL. PROF. ORD.

Videbimini multis, sui ingenii modulo et praesente nescio qua vtilitate omnia metientibus, inanem operam lufisse, in demonstranda poeseos natura et praeceptis, cuius equidem litis iudex non fedeo, dicam tamen, sententiam rogatus, rationes, cur mihi se prober mirifice hic labor vester, quas habeo plures. *Vna* est, quod argumentum elegistis, in quo, si quid humani passuri fuisset, verendum non erat, ne detrimentum caperet res publica aut ciuitas sacra, quod modestiae tribuo. *Altera*, quod humanitati et elegantioribus litteris atque iucundissimae in primis poesi callide satis consultum iuistis, quod officii et prudentiae est. Ea enim viuimus tempora, quibus barbaries imminere, et ipsum scientiarum incrementum elegantiis litterarum interitum minari videtur, dum scholasticorum lingua in ciuitatem postliminio reuocatur mirum in modum locupletata, artes contra, quae omni vitae ornamen to et praesidio sunt, negliguntur. Forte hae litterae magis placebunt, si in saeculum philosophicum sub pallio deducantur, aut hoc condimento

dimento saluat nonnullis mouebitis ad degustandam dulcissimam poesin, quam adhuc pro insipida fingendi et desipiendi licentia habuerunt. Tertia tandem est, quod artem et scientiam feliciter satis, si quid iudico, coniungitis, quod ipsum scientiae duco, et disciplinam in artis formam diu redactam ad scientiam euehore elaboratis. Dudum id desiderarunt sagecissimi viri, ut ars et scientia in disciplinis, quae utramque admittunt arctius coniungerentur et rectius distinguerentur simul, quam quidem plerumque fieri solet. Sicut enim non quaevis scientia, disciplinam ex causis et principiis certis deriuans, ad artem referri potest, quae habitum cum ratione effectuum format, et complexu regulorum ad effectum producendum requisitarum absolvitur, qualis effectus in speculatoriis disciplinis locum non habet: potest tamen omnis ars ad scientiam referri, si regulae demonstrantur et ita determinantur, ut exceptio evitetur. Praecclare cum litteris et omni humano genere ageatur, si artibus omnibus illa iam felicitas obtigerisset, quod posteritati seruatur, praecarius tamen, si recte uterentur mortales arte et scientia, ut neque tirones et rudiores arte nondum initiatos ad scientiam protruderent, philosophica cognitione disciplinarum imbuerent historica destitutos, neque tamen prouectiores a scientia arcerent, neque aliorum doctores constituerent ultra artem artisque praecepta non eductos, ratio-

tionum reddendarum imperitos omnino, sed scientia praeditos, licet eamdem non creparent vbiuis. Verum satis iam desideriorum. Vobis, SYAVISSIMI FRATRES, gratulor disputacionem eruditorum examine non indignam, mihi que vberioris ex vobis studiisque vestris capienda delectionis spem certissimam. Fortunet DEVS O. M. vestram artis et scientiae iter, idque in rem vestram et emolumentum publicum felicissime cedere iubeat. Dedi xi. cal. oct. cl. lo CCXXXV.

AD DISPVAT. PHILOS.

DE

VERITATE

QVAM AD D. VI. ID. OCTOBR. CL. LO CCXXXV. DEFENDIT

PRAESIDE

M. ERNEST. CAROLO WIGANDO

RESPONDENS

SAMVEL RAYMANN

HVNCGARO EPERIENSI COMITATVS

SAROSIENSIS.

NOBILISSIMO ORNATISSIMO QVE

SAMVELI RAYMANNO

S. P. D.

SIGISMUNDVS IACOBVS BAVMGARTEN,

S. THEOL. PROF. P. ORD.

Exi-

Eximio two et singulari plane bonaे men-
tis ac litterarum studio, eiusque felici
succesu tantum ego delector, quantum
delectari potest **TUI** amantissimus.
Non citius enim innotuisti mihi familiarius ab ex-
perientissimo PATRE TWO curae meae traditus,
quam liberale ingenium mentemque aduersus
litteras egregie animatam deamare, immo non
bene solum de TE sperare, verum et con-
fidere coepi, fore **vt TVORVM** exspectationem
impleas et superes longissime. Quam ob rem
bellam hanc opportunitatem gratulandi TIBI stu-
diorum tirocinia dimittere nolui, sine aliqua
meae in TE voluntatis significatione, et publico
incitamento ad virtutis et litterarum stadium de-
currendum felicissime. De argumento disputa-
tionis vbi primum resciui, ex notissima cogitan-
di lege incidi in verba PONTII PILATI procurato-
ris romani IOANNIS c. XVIII. COMM. XXXVIII.
obuia: *Quid est veritas?* ad quorum conceptam
formulam plerisque de labore, vestro iudica-
tum iri opinor. Non iam interpretum
diuortiis componendis labore, fateor tamen
in illorum me sententiam dudum transiisse, qui-
bus iniquissimus iudex seruatorem optimum,
postquam veritatis mentionem fecerat, sibique
regnum veritatis vindicauerat, derisurus ita
pronuntiasse videtur, **vt tam contemnum harum**
ineptiarum, quas ad forum suum nihil pertinere
arbi-

arbitrabatur, quam etiam desperationem de ope
ipsi ferenda declararet. Nouerat fauerrimus
homo obsequium amicos, veritatem odium patere,
eiusque partes saepissime non sine fortunae iactu-
ra defendi, a quo mirifice abhorrebat. Impe-
ditiorem simul cognitionem veri suspicabatur,
quam ut magnum operae in ea inuestiganda na-
uandae pretium laturum se speraret: quare de
causa seruatoris veritatis patroni conclamatum
esse edicebat. Propius ab hac leuissimi animi
sententia absunt non dicam mortales plerique,
qui quidquid veritatis est, cuius ambitus patet
latissime, susque deque habent, verum etiam
multi qui ultra plebem sapere et aequi bonique
studiosi esse volunt, dum veri certique sunt ad-
modum incurii, cuius studium nisi noxiun, ina-
ne certe ac minus profuturum pronuntiant. Erit
igitur eo enitendum omnibus, qui vel edocti vel
experti intelligunt, quanti intersit felicitatis hu-
manae, veritatem cognosci et amplificari, ut
prouideant ne quid ex contemptu veritatis cuius-
cunque demum ordinis illa sit, detrimenti capiat
utilitas publica. Laudo paeclarum conatum
TVVM, ornatissime RAYMANNE, de veritatis na-
tura explicanda bene merendi, eiusque defen-
sionem publicam suscipiendo, quam ominor fe-
licem. Quod reliquum est DEVM o. M. precor,
ut TE spiritu sanctissimo in omnem diuinam veri-
tatem transducatur, in eaque non cognoscenda magis
quam viuendo exprimenda dirigat: studiorum

in primis mutationem, quam a parente tuo indulgentissimo ipsoque deo non obscuris voluntatis suae indiciis iussus, iam meditaris, ex nostris in medicas scholas concessurus, fortunet abundantissime. Dedi ad d. vi. id. octobr. MDCCXXXV.

AD DISSERT.

DE

DIONYSIIS SICILIAE TYRANNIS

Q.V.A.M

PRID. ID. JANVAR. CIO IO CCXXXVI.

PVBLICE TVEBANTVR

FRID. GVILIELMVS (*) ROLOFFIVS
BEROLINAS

ART. ET PHIL. MAG.

AC

RESPONDENS

AVG. PETRVS BORNEMANNVS.

SCHOENEBECCA MAGDEBURG.

PRAESIDI CLARISSIMO

S. P. D.

SIG. IAC. BAUMGARTEN.

TH. PROF. ORD.

(*) Professor historiarum et antiquitatum FRANCOFVRTI
ad ODERAM celeerrimus. Facit

Facit paterna amicitia, amor in TE meus
cultus a TE diligentissime, et honoris ele-
gantissimae scriptio[n]is dedicatione ante
lesquiannum et quod excurrit mihi delati
recordatio, atque adeo ipsum grati animi officium,
ut hanc gratulandi opportunitatem nactus aliquid
ad TE litterarum cum bonis verbis dandum esse
omnino existimem. Laetissimo enim hoc tem-
pore rvo, quo in celebritatem academicam pro-
dis dexteritatem publice periclitaturus, et gna-
ris ingeniorum arbitris, prisci litterarum deco-
ris amantibus, antiquam doctrinam, elegantias et
humanitatem probaturus mirifice, a me labori-
bus quidem obruto, litterarum tamen et ami-
corum non immemore id certe non imperrgo, ut
officio desim, neque significem, quanti a me
fias, et quam bene Cupiam litteris antiquis in
quibus ornandis, amplificandis, a contemtu et
interitu vindicandis rarissimo apud nos exemplo
totus elaboras. Quare ut vniuersum argumen-
tum paucis complectar, tibi vere gratulor, bo-
nis litteris gaudeo, academie bene ominor, et
fausta quaevis non ex tua disciplina, sed cer-
tissimis primitiarum indiciis auguror. Vnum
est quod vehementer TE etiam atque etiam oro,
ut contra maleuolorum obscuros insultus virtuti
et industriae fortiter insistas, utilitati publicae
DEO et ciuitati sacrae viuas, de litteris humanio-
ribus deliciis Tuis immortaliter merearis. Ita

V 2

mihi

mihi prospere omnia, eueniant, vt haec non spero
sed prouideo, et ex animo precor. Vale rectis-
ime. Dedi in fridericana ad d. iii. id. ianuar.
c. 10 CCXXXVI.

EPISTOLA

DE

VETERVM CONIVNCTIONE
MATHESEOS CVM PHILOSOPHIA

QVA

CLARISSIMO DOCTISSIMO QVE
IOAN. GOTTLLOB (*) KRVGERO

SVMMCS IN PHILOSOPHIA HONORES

D. XVIII. CAL. FEBRVAR. Q. 10 CCXXXVII

OBTINENDOS

AMANTISSIME GRATVLATVR

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN

THEOL. PROF. ORDIN.

CLARISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

SIG. IAC. BAVMGARTEN

(*) Studiosa sane iuentus cordatiorque eruditorum
familia, auidā iam exspectat dulcissimos ex felici illa
matheseos cum philosophia coniunctione fructus:
nec nona, quam vir CLARISSIMVS typis iam excuden-
dam curat physica summa, quam primitiae eius ian-
fecerunt exspectationem fūlhabitur. Offi-

Officio deessem, neque ingrati animi maculam effugerem facile, si honores ab amplissimo ordine philosophico in te conferendos hodie tibi gratulari negligerem, aut honorifica disputationis TVAE dedicatione condecoratus aliquod voluntatis in te meae monumentum existare non curarem. Incredibilis enim praeclara hac virium contentionе, qua ad bonas artes eniteris, cumulus accessit ad veterem existimationem, illumque amorem, quo non citius te cognoui quam complecti, et prosequi coepi. Dicam quod res est. Laudabiliter et auspicato agere mihi videris, quod in rebus naturalibus peruestigandis non opiniones, sed ipsam naturam magistram sectaris, atque in illius recessus experimentis capiendis penetras, eaque radio ita describis, ut matheseeos et philosophiae felicissime a te cultae, fructuumque ex una scientia in alteram redundantiam iam specimen edis, ea honestatis TVAE amplificatione, quam hodie consequeris, longe dignissimum. Facis hoc, non nostrae solum aetatis virorum scientiis immortaliter meritorum exemplo, verum etiam philosophorum ab hominum memoria antiquissimorum auctoritate, qui scientias distinctas omnino, nec temere limitibus remotis commiscendas, ipsa tamen natura sua arctissime inter se copulatas, coniunctissima opera tractarunt. Primi sapientes orientis hanc viam

V 3

phi-

philosophandi praeiuerunt, ut non magis ipsius philosophiae et matheſeos, quam vtriusque copulandae primordia ab illis merito repetantur. Quorum vestigia ſollicite legerunt, qui ſcientias in GRAECIAM inuexerunt, nihilque prius et antiquius habuerunt praeparatione mathematica ingeniorum ad philosophiam formandorum. Italicae ſcholae diſcipulos silentio aliisque exercitiis initiatos PYTHAGORAS mathematicos vocari iuſſit: quod matheſi imbuerentur et ad aktiora ſubigerentur, atque ſic demum ad naturae ſpectaculum deducerentur et physici euaderent. Eamdem legem tulerunt quoquod ex iōnica ſchola prodierunt philosophiarum conditores, ut matheſeos ignari a ſcholis suis abeffent. Quod ſicut PLATONEM prouidentiſſime fanciuſſe nemo ignorat: ita celeberrimum quemque philoſophum, licet in doctrinis vel maxime ad alia omnia diſcederetur, ea tamen in re ſecum ſentientem habuit; ne ipſo quidem ARISTOTELE excepto, qui procaciſſima magiſtrum oppugnandi eiusque doctriṇas laceſſendi libidine induci non potuit, ut hanc conſuetudinem immutandam existimat. Quod et luculentis ſententiis bene multis vt lib. VI. ad NICOMACH. et ſuo ipſiusmet exemplo teſtatiſſimum reddidit. Iure enim meritoque acutiſſimis interpretibus exempla regularum in analyticis propositarum non ex matheſi potius quam aliunde deſumtur, fuisse videtur, niſi illa omnibus ad philosophiam admiffis eo tempore longe

longe notissima fore putasset. Et quamquam hos secuti philosophi inter se committebantur in ordine disciplinarum constituendo; quum nonnulli post physicam ante metaphysicam matheſin collocarent, plerique autem ab antiquo more ordiendi a matheſi recedi nefas ducerent: id tamen inter omnes vnanimi ſententia conſtitifſe nouimus, matheſin ab his litteris omnino non eſſe ſeparandam. Quae laudabilis veterum industria dupli c potiſſimum occaſione ſenſim obſoleuit. Vna fuſt taedium laboris in hac ingenii praeparatione deuorandi: quem veriti homines, temporisque et moleſtiarum compendium facturi, ſine matheſi, imo ſine litteris et grammatica in philoſophiam inuolare cooperunt. Quam priſcae disciplinae ſeuerioris turbationem TAVRVS celeberrimus ſub ADRIANO philoſophus, apud GELLIVM lib. I.c. VIII. acerbe queſturus, nunc, inquit, iſti qui repente illo-
ris pedibus ad philoſophos diuertunt, non eſt hoc ſatis, quod ſunt omnino ἀθεωρητοι, ἄμουσοι,
ἀγεωμετρητοι, ſed legem etiam dant qua philoſo-
phari diſcant, aliud ait, hoc me primum doce, item
alius, hoc volo, inquit, diſcer, iſtud nolo. Ac-
cessit altera, maleferiata quarumdam mathema-
ticorum audacia, qua animum induxerunt, ut
innocentissima disciplina ad astrologiam genethlia-
cam et diuinatoriam, ſuperstitioſiſſimam circum-
ueniendi artem, turpiter abuterentur, ultra pul-
uerem et radium ſaperent, diuinas res violent,
humanis rebus fatum inferrent atque euentus

V 4

fu-

futuros ex sideribus canerent. Qua re factum est, ut non solum vulgus mathematicos vocaret praestigiatores et vates quosuis, ac nobile illud nomen ad nequissimos nugatores transferret: sed mathematici etiam ciuitate pellerentur, apud SVETONIVM in TIBER. c. XIII et XXXVI, VITELL. c. XIII, ac legibus imperatorum contra mathematicos lati, ab ipsorum fraudibus rei publicae caueretur, quae in codice iustinianeo hodieque supersunt, lib. X. titul. XVIII de malefiscis et mathematicis, atque in codice theodosiano lib. VIII. tit. XVI. leg. VII. et XII. de mathematicis vrbe ROMA et ciuitatibus omnibus pellendis et codicibus eorum cremandis. Idem fuit in ciuitate christiana legum sacrarum contra mathematicos rigor quibus libros suos antistiti tradere concremandos iubebantur, vt sic fierent christiani, quas PHOTIVS in nomocanone tit. VIII c. XXV recenset complures, et WILH. BEVEREGIVS in synodico eccles. graecae exhibet tom. I. pag. CCCCLXVIII et tom. II. part II. p. DCLXXIII. Quorsum et veteriorum ciuitatis sacrae doctorum querelae et inuectuae contra mathematicos referantur necesse est, quales apud TERTULLIANVM reprehenduntur de idolatria c. VIII et in mosaicarum ac romana- rum legum collatione tit. XV de mathematicis et manichaeis, et apud PRUDENTIVM lib. II contra SYMMACHVM v. CCCCLXXVIII et DCCCLXXXIII. Quae sine dubio IO. SARESBERIENSEM mouerunt, vt honori ipsius matheoseos ab his abusibus purgatae con-

consulturus, non sine mirifica graecarum litterarum ignorationis testificatione, duplificem vocem graecam fingeret, *matheſin*, cuius penultima breuis esset, quam probandam existimat, et *matheſin* cum penultima extensa quam improbat, POLYCRATICI lib. I. c. XVIII. Euenit hac nominis ambiguitate, ut satis diu contenta haberetur *mathesis*, et ad suspicionem magiae, veneficii ac profanae impietatis paene sufficeret vel leuis rerum mathematicarum peritia. Sed vereor ne, si longius excurrerem, prolixior fierem quam hae litterae amoris in TE mei significandi cauſia datae patiuntur: in primis quum probe inteligam, TIBI huius felicissimae coniunctionis vtriusque scientiae utilitatem experto nec rationibus nec auctoritatibus admodum opus esse, atque multo minus commendatione mea. Quare scribendi finem faciam, si vnum hoc addidero, me plane etiam atque etiam TIBI gratulari, mihi academiae et bonis litteris gaudere, excellens ingenium, enixissimum scientiarum studium, bonam mentem in TE plurimi facere, felicissima quaevis non tam augurari et sperare quam prouidere, DEVVM ardentissime rogare, ut vberrimos ex his litteris a TE fructus et capi et ad utilitatem publicam ferri iubear, atque de me denique recipere, nullum me officii tempus praetermissurum, neque commissurum umquam ut in TE amando, iuuando, exornando, si qua fieri a me poterit, quidquam desideres. Dedi in frideric. postridie id, ianuarias an. clo Io ccxxxvii.

V 5

AD

AD DISSERTAT. IN AVGVRAL.

DE

PARONOMASIA SACRA

QVAM

PRAESIDE

CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS

THEOL. ET PHIL. PROF. ORD.

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

AC PRIVILEGIIS

AD D. IX. SEPT. AN. CLO ID CCXXXVII. EXPONIT

IO. CHRISTOPH. (*) DECKER

VCAROMVnda-POMERANvS.

CLARISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN.

Etsi nec meam in te voluntatem obscuram
 tibi aut dubiam esse arbitrabar, nec
 industriam tuam in bonis litteris collo-
 catam et tirocinia laudabiliter posita
 cuiusquam atque omnium minime meo indigere
 testimonio existimabam: committendum tamen
 esse non putaui, ut laetissimo hoc tempore tuo,
 quo summis in philosophia honoribus condeco-
 ratus

(*) Totus huc usque fuit in eruendis eiusmodi sacri co-
 dicis deliciis, nec paucis veritatum caelestium ae-
 stimatoribus probauit.

ratus in celebritatem academicam admodum honorifice prodis, vnuſ ego amicorum TVORVM filerem, aut inter aliorum grarulationes nullum mei erga TE amoris et voluptatis ex felicitate TVA captae monumentum publicum extaret. Quare hanc TIBI dignitatem breuibus quidem et familiariter, at vere et ex animo sic gratulor; vt et amicitiae satisfiat, neque officiosissimi TVI in me amoris immemor esse videar, et testatissimum apud omnes faciam, quibus potissimum rebus studia TVA adeo mihi probaueris effecerisque vt profectibus TVIS tantopere deleter. Ita enim rerum TVARVM rationes subduxisti ex quo tempore in hanc bonarum artium palaestram concessisti, vt sanctiorem doctrinam, cui TE VNI consecratum esse gaudeo, cum propaedeumatibus studiosissime copulares, neque haec inter se coniunctissima diuelleres, sed pro eo, quo et inter se et cum ipsis sacris litteris cohaerent nexu mutuo, arctissime coniungeres, atque adeo non solum in singulas diuinorum doctrinarum partes animo enixissimaque virium contentione incumberes, verum etiam philosophia, mathesi et linguarum in primis sacrarum cognatarumque scientia TE erudiendum curares, sancteque caures, ne quid bonarum litterarum ad publicam utilitatem profuturarum in TE desideraretur. Cuius rei fructus iam cepisti, opinor, atque in posterum capies, si quid iudico, aliisque feres longe vberrimos, neque vanum me TIBI vatem
fuisse

fuisse intelliges, qui quam primum me auctorem
in litteris tractandis sequi coepisti, ita dudum
praeuidi saepiusque praedixi. Age igitur cla-
rissime candidate, maete hac virtute esto, TE
ipsum iam sequere, aliis viam eruditionis
exemplo et doctrinis sancte pracito, teque DEO
et sanctiori disciplinae deuotum esse memento.
Facies hoc omnium rectissime, et multa tempo-
rum nostrorum pericula securus transibis, atque
inexcusabile sacrarum litterarum fastidium, quo
multi iam vel ipsi earumdem studium profesi
in transuersum abripiuntur, effugies, si ab
illo tramite, quem ingressus es, oracula diuina
in deliciis habendi, ac diurna nocturnaque manu
versandi numquam recedes, neque in patentissi-
mum linguarum scientiarumque campum ex-
curses, quin quicquid ad ea illustranda per-
tinere videbitur sollicite conquisitum eo trans-
ferre studeas. Quam exspectationem eo certius
impletum iri confido, quo laetioris ominis instar
habeo, quod eiusmodi specimen eruditionis pu-
blicum iam edendum statuisti, cuius utilitas ad
diuinis litteras penitus intelligendas maiorisque
faciendas redundans vehementer me delectauit.
Multos enim non imperitos elegantiarum arbitros
magnificentius iudicaturos fuisse arbitror de eo-
rum, quae viri sacri diuinitus scripserunt, praef-
stantia, et ipsa librorum diuinorum eloquentia
admiranda plane et incomparabili, si figuræ,
flores et colores ad delectandum mouendumque

com-

comparatos, quibus referti sunt, rectius perspexissent: quod tamen sine linguarum sacrarum notitia datum est nemini. In quibus quum non postrema sit iucundissima paronomasia: operae omnino pretium facis, quod eius copiosior rem pertractionem publicandam defendendamque suscipis. Scalent enim, crede mihi, oracula diuina occultis eiusmodi allusionibus ad facta praegressa, mores gentium et ritus antiquos, ipsas etiam, quod proprius hoc pertinet sonorum similitudines et vocum ac nominum maxime proprietum deriuationes. Quod ultimum allusionum genus inter viros diuinos, qui graece scripserunt, a PAVLLO potissimum, ubi familiarius agit, visitatum fuisse, constat. Ut praeter evidentissimam paronomasiam ad nomen ONESIMI in epistola ad PHILEM. com. X. XI. XX. obuiam, ipse blandissimae compellationes PHILEMONIS, viscerumque, amorum, hospitii et amplexuum commemorationes in iisdem ad illum datis litteris comprobant: quibus PAVLLVM PHILEMONI aurem vellere, ipsumque nominis sui commonefacere voicisse interptetes obseruarunt. Ad ipsum autem PAVLLI nomen non solum ipse I COR. XV COMM. VIII EPH. III COMM. VIII verum etiam quibusdam non improbabili ratione DAVID ps. LXVIII COMM. XXVIII respexisse visus est. Nec forte falleretur, qui idem in nomine TIMOTHEI et ONESIPHORI factum fuisse existimaret I TIM. III COMM. VII cap. VI COMM. XI II TIM. I COMM. XVI. XVII. XVIII.

XVIII. Facit etiam maior harum allusionum ratio habita, ut ciuitatis christiana primi doctores, quos patres vocare solemus, latini aequi ac graeci et felicius intelligentur et a suspicione ignorantiae in vocum originibus ac significacionibus liberentur, quam nimio allusionum et paronomasiarum studio excitasse videntur. Quod luculentissimis exemplis confirmari posset, si epistolae ratio permitteret, quam prolixissimus in te amor meus iam longiorem reddidit, quam quidem destinaueram. Quam ob rem ne animo indulgeam, scribendi finem faciam, si te hoc vnum rogauero, ut de me sic statuas, omni occasione vel data vel caprata operam me daturum, ne quid tibi a medesit officiorum studiorumque, quod ab homine profici sci poterit tui quam amantissimo. Ded. in frideric. ipsis non. sept. an. cii cxxvii.

AD DEMONSTRATIONES
AD
EBRAEORVM GRAMMATICAM
PERTINENTES

QVAS

AD D. VIII. OCTOBR. CII CI cxxxvii.

PRAESIDE

M. IO. CHRISTOPH. DECKER

DEFENDIT

GOTTHILF IO. LVDOV. (*) DIENEMANN.

BEROLINAS.

(*) Gymnasii Islebientis Rector.

ORNA

ORNATISSIMO
DIENEMANNO SVO
SAL. PLVR. DIC.
SIGISM. IACOBVS BAVMGARTEN.

Qui PRAESIDI TVO clarissimo nuper admodum disputationem solemnem et summos in philosophia honores gratulatus sum, atque amicitiae officiorumque fidem dedi, ad publicam iam a TE, amicissime DIENEMANNE, vobiscum pugnam prouocor. Sustinebo has partes, hostemque simulabo, quoad per amorem et temporis angustias, quibus labore, fieri poterit, ita ut et ipsi PRAESIDI, cui plurimum volo, fidem studiumque comprobem, et TIBI significem quanti faciam ingenium, mores, industriam, litteras, omnesque illas virtutes, quas in TE ianu aliquot annos cognitas mirifice deamaui. Disputationis argumentum omnibus, qui linguarum studiis bene cupiunt, si quid prouideo, apprime placebit: mihi certe gratissimum fuit, qui non solum linguis, quod profiscine dixero, multu m delector, earumque incredibile ad omnem saeptiorem doctrinam praesidium esse quotidie intelligo, verum eriam in sententiis de linguis addiscendis diuortio ad neutras partes conces si, neque illorum, qui omnem hanc operam grammaticorum regulis mirum quantum mult iplicatis absolui pronunciant, nec eorum,

eorum, qui leges grammaticas abrogari, ignorari saltem et ex scholis omnino proscribi, linguas vero exercitio et vñu comparari iubent, sed medium inter has sententiam profiteor, ut paucis philosophandum esse arbitrer. Nam ut grammaticam disciplinam linguarum philosophiam esse existimo, sic illos maxime sector qui ad pauca, foecunda tamen et sufficientia principia has leges reuocant, atque efficiunt ut ars grammatica a scientia proxime absit. Quam praeclaram operam iam diu fatis et in nostra academia et alibi ab eximiis viris, quibus hae litterae multum debent, datam esse, eorumque vestigia in hac dissertatione premi, optimo iure impense laetor. Defensionem solemnem felicem vobis futuram et spero, et praesentio, et gratulor: licet ipse sim inferior ex conflictu discessurus. TV vero, amantisime DIENEMANNE, quidquid suscipies id velim D E V S O. M. approbet atque salutare esse iubear. Mea in TE studia et officia semper constabunt. De di in frideric. ipsis nonis octobr. an. CL CX XXXVII.

AD

LITTERAE XXI.

321

AD OBSERVATIONES

AD

REM ATHLETICAM PERTINENTES

QVAS

PRO OBTINENDIS MAGISTRI HONORIBVS

PRAESENTE

IO. HENR. SCHVLZE

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE ELOQUENTIAE
ANTIQUIT. ET MEDIC. PROFESS. P. O.

A. D. XII. OCT. CLO ID CCXXXVII.

PLACIDO ERUDITORVM EXAMINI SUBIECIT

NATHANAEL (*) BAVMGARTEN
BEROLINAS.

NATHANAELI BAVMGARTEN,

FRATRI

S. D. P.

SIGISMUNDVS IACOBVS BAVMGARTEN.

Ego tibi, mi frater, non gratularer disputationem solemnem et honores academicos? Difficulter, mihi crede, id facio,
non quod exiguum iis premium statuam,
aut illis TE indignum iudicem, aut dignitate TVA
mediocriter, ne dicam nihil omnino delester:

X

sed

(*) Vide supra ep. XV. p. 300.

sed quod ipse TE omnibus, qui litteris volunt,
satis commendas; quod frater es, de quo quae-
cunque a fratre dicantur vel verissima et ab af-
fentionis specie remotissima amori magis et
consuetudini tribui putantur, quam rationis iu-
dicio et merito Tvo; et quod in TE bene formando
hos docem annos et quod excurrat, nonnihil
operae posui, cuius exopratos fructus tacitus
percipere malim, quam ambitiose praedicare.
Longe tamen difficiliiori et inexcusatori tacitur-
nitate, quae sentio apud me cohiberem. Nae
ipse mihi viderer vel litterarum bono non gau-
dere, vel frater fratri deesse, vel mihi ipsi non
satis constare, si quem lateri meo adhaerentem
tam diu habui, iam in lucem academicam non
sine consilii mei auctoritate prodeuntem bonis
verbis destituerem, atque publica amoris ad-
uersus TE mei et laetitiae, speique a TE factae,
testificatione non comitarer, neque precibus
prosequerer. Praeterea ingratus forem in DEVUM
o. m. cui id acceptum refero, atque in maximis
beneficiis, diuinitus profectis, colloco, quod
paterno testamento me non tam curarum fratri-
bus insumendarum, quam voluptatum ex utro-
que fratre capiendarum haeredem scribi iussit,
si gratiis ipsi agendis supersederem, et vota
concepta olim iam non persolverem. Quare ex
animo et vere TIBI gratulor, mihi gaudeo, ad prae-
clara quaevis TE hortor, et pristinorum votorum
reus noua pro TE nuncupo. Gratulor et litteras,
quas

quas imbibisti, tam seueriores; quam elegan-
tiores, vsui, ornamento et delectationi, quoad
viues futuras: et honores, quibus iam conde-
coraris, a TE, si quid auguror, non magis ca-
pessendos et sustinendos, quam ornandos: et
opportunitatem confirmandi animum illis doctri-
nis, quas alios docebis, atque adeo bene me-
rendi de bonis litteris. Laetor operam qua-
lempcunque meam, et consilia, quorum si quem
vmquam TE certe obtemperantem habui, bene
cessisse, neque TE solum non fecellisse, verum
impleuisse et superasse spem, quam dudum mihi
feceras, multumque a TE fratrem a me proxi-
mum aemulaturo, curas et labores meos suble-
uatum iri laetus praesagio. Hortor TE, mi
frater, vt felicissimam bonae et religiosae men-
tis cum litterarum studiis, harumque inter se
coniunctionem per omhem vitam p̄ te feras,
sanctoris semper disciplinae, qua initiatus es,
memor viuas, exspectationem bonorum omnium,
quam tibi grauem aduersariam constitutam ha-
bes, non minus, quam DEI beneficia in TE cu-
mulata quotidie cogites et inter media pericula
aeternitati TE vindicet. DEVUM vero indulgentis-
simum familiae statorem supplex veneror, vt
suis in TE donis fauet, felices laborum successus
praefest, studia et lacubrations fortunet, mihi-
que sic omnia propere euenire iubeat, vt in TE
amando, iuuando, ornandoque nemini con-
cedam. Dedi in frideric. d. III. id. octobr.
an. clx. Io. CCXXXVII.

AD DISSERT. IN AVGVRALEM MEDIC.

QVA

PRAEIVDICATAE QVAEDAM DE
VENAE SECTIONE

OPINIONES EXPENDVNTVR

QVAM

PRAESIDE

D. IO. HENR. SCHVLZE

MEDICINAE ELOQV. ANTIQV. ET PHIL. PROF. P. O.

PRO GRADV DOCTORIS

A. D. XIII. IVN. C¹⁵ CCXXXVII.

PVBLICE DEFENDIT

AVCTOR

SAMVEL (*) RAYMANN

EPERIESSINO - HNGARVS.

CLARISSIMO

SAMVELI RAYMANNO

SAL. PLVR. DIC.

SIGISMVNDS IACOBVS BAVMGARTEN

S. THEOL. PROF. P. ORD.

(*) Tam enucleate, certe, atque euidenter praescaram illam de venae sectione doctrinam vir clarissimus exposuit, argumentisque philosophicis,

Qui ante tres annos ingenii et diligentiae specimen, quod disputatione publica de veritate habita edebas, ex animo tibi gratulatus sum, iam nequaquam committendum esse putaui, ut in celebriori hac dignitatis TVAE amplificatione amoris in TE mei et officii desideraretur quidquam. Plures enim easque fat graues habere mihi videor rationes voluptatem non mediocrem ex TE capicndi, prae-clara quaevis de TE sperandi, et rebus TVIS optime precandi. Primum impensa laetor de eximio veri rectique studio, quod in hac bonarum artium sede bonis omnibus abunde approbasti. Deinde mirifice delector felicitate, quae TIBI diuino beneficio contigit plane singularis, ita

X 3 eme-

cis, mathematicis, physicis, stabilinit, vt medicina, si ceterae eius partes eadem felicitate forent absolutae, a scientia prope abesse videretur. Obseruauit atque laudauit tam rarum medicae doctrinae exemplar *illuſtr. HOFFMANNVS* singulare academiae nostrae decus, cuius domus totius pene EVROPAE oraculum iam dudum esse coepit, in litteris ad clariss. respond. datis, placuit, inquiens, scribendi genus planum, tersum et perspicuum: magis placuit ratinicionum iustum, et rerum quas tractas naturas omnino accommodatum, aut potius ex eis deducium, colligatum, connexum - - Sic decet omnino res medicas tractare, ut duo ista, quae cognoscendi principia sunt, RATIO et EXPERIENTIA, amica inter se copula iungantur, et altera alteram illuſtrat, altera instruat et firmamentum praebeat.

emetiendi stadium studiorum academicorum, ve
non solum ab illius periculis **TIBI** caueris, verum
etiam laudabilis industriae in bonis litteris et sa-
lutari in primis arte collocatae insignes fructus
feras, supremis honoribus academicis condecora-
tus. Mihi ipse denique gratulor tibique gra-
tias ago, quod spem, quam de te et concepe-
ram ex quo curae meae traditus huc concessisti,
et aliis, feceram, non fefelleristi, sed superasti potius,
ipsoque iam euentu vera fuisse demonstras, quae
de felici laborum **TIVORVM** successu non ut vates
diuinaui, sed ex egregia mentis indole et inde-
fessa virium ad virtutem enitentium contentione
fatis diu prouidi et praedixi. Age igitur, ami-
cissime RAYMANNE! macte esto laude **TVA**. Red-
ditus parenti experientissimo, cui plurimam
meis verbis salutem dicas velim, **TIBI**, patriae,
utilitati publicae, multorum saluti, atque adeo
aeternitati viue feliciter, doctrinarum, quas
apud nos imbibisti, et amicorum qui **TIBI** hic
admodum cupiunt numquam immemor. Dedi
HALAE ad **SALAM** in *fridericana* postridie id.
iun. an. MDCCXXXVIII,

AB

AD DISSERT.

QVA

ANTIQUITATEM CODICIS
ALEXANDRINI

PRAESENTE

D. IO. HENR. SCHVLZE

MEDICINAE, ELOQVENTIAE ET ANTIQU. PROF. P. O.

A. D. VIII. APR. AN. CLO IO CCXXXVIII.

PUBLICE VINDICAVIT

AVCTOR

IO. AVGVSTIN. DIETELMAIERVS.
NORIMEBERGENSIS.

HONORATISSIMO AMICISSIMOQUE

DIETELMAIERO

SAL. PLVR. DICIT.

D. SIGISMVNDS. IACOB. BAVMGARTEN.

Oportunitatem diu desideratam, laetus
arripi, aestumatislime DIETELMAIERE,
publice significandi, quanti a me fias
optimo merito tvo. Effecerunt enim
et animi dotes, quas a natura, liberalique
educatione DEI beneficio habes eximias, et singula-
ris doctrina, eiusque amplificandae ardor incre-
dibilis, et officiosissimus in me amor TVVS, et

PARENTIS TVI maxime reuerendi benevolentia,
ut amicitiae leges migrare mihi ipse viderer, si
quam occasionem, solemnius TIBI gratulandi,
praestandique officium praetermitterem. Quam
ob rem non solum publicam oppositionem con-
tra disputationem TVAM in me recepi lubens,
verum etiam hoc, quidquid est litterarum, ad
TE dandum esse putavi. De priori poteram am-
bigere, et quod lectis aliquot dissertationis pa-
ragraphis facile peripexi difficultatem oppugnan-
di cum veri specie doctrinas, de quibus idem
sentio, in primis si solide euictae sunt, et extra
telorum iactum positae, et quod animo TVI aman-
tissimo vis inferenda videbatur ad partes aduer-
sarii vel aliquantum sustinendas. Vicit tamen
desiderium TVVM, cui difficilis esse nolui, et
ipsa in TE voluntas mea, ad difficiliora paratis-
sima. Comparebo igitur et nonnulla proponam, ut
habeas in quibus discutiendis, doctrinam litte-
rasque a quibus TE instructissimum esse noui,
publice explices, omnibusque approbes. Epi-
stolae huic destinaueram breuem narrationem de
fatis GRABII anglicanis, ea, quorum mentionem
fecisti in dissertatione, illustrataram, quod nuper
admodum libellum posthumum GRABII, quo loca
scripturae sacrae et patrum de diuinitate CHRISTI
a detorsionibus WHISTONI vindicata, nactus ex
prae fatione historica, longe amplissima GEORG.
HICKESII LXX. paginarum, quam libro xxx. pagi-
narum praemisit, multa comperi, alibi non obvia-
vnde

vnde de aduersitatibus, controversiis, suspicio-
 nibusque, quas litteratissimus homo habuit et
 fecit, rectius iudicari potest. Veritus tamen,
 ne vel concisior expectatione vel prolixior fie-
 rem, quam fini, quem praefixum habui, con-
 uenit, mutauit consilium. Quare ad TE redeo,
 ornatissime DIETELMAIERE. Vere TIBI gratulor,
 enixissimum studium in bonas litteras, progres-
 sus in sanctiori disciplina factos, ornamenta do-
 ctrinarum, quae interpretem voluntatis diuinac
 mirifice iuuant a multis neglecta, et laudabilem
 operam tam libris diuinis rite interpretandis,
 quam antiquitatis sacrae veterimorumque ciui-
 tatis christianaे doctorum monumentis datam.
 Gratulor tirocinia laborum eruditorum prae-
 clare posita atque hoc in primis temporis aca-
 demici diligentissime collocati documentum.
 Gratulor tandem amplissimam spem, honorum
 qui TE norunt, omnium, quam DEO fauente
 implebis, quum superari nequit. Vale! DEO,
 patriae, reis sacrae, litteris, parenti, amicis, mihi
 denique si meruero, viue feliciter! Dedi in
 academ. frideric. postridie id. april. anni
 clo IO cxxxxviii.

AD

AD DISPVT. IN AVGVR.

QVAM

**SOLOECISMVS GENERIS
A SYNTAXI
SACRI CODICIS EBRAEI DEPELLITVR**

QVAM
PRAESIDE

D. CHRIST. BENED. MICHAELIS

THEOL. ET LING. GR. ET ORIENT. PROF. ORD.
PRO GRADV MAGISTRI CONSEQVENDO

D. D. XXV. APR. A. C¹I^o I^o CCXXXVIII. DEFENDIT

GEORG. FRID. (*) MEIERVS
AMMENDORFIENSIS - MAGDEB.

CLARISSIMO

PHILOSOPHIAE CANDIDATO

SAL. PLVR. DIC.

SIGISM. IACOBVS BAVMGARTEN.

Quem ante paucos menses in cathedram
theologicam deduxi defensumque
iui, parum licet opis ferendae indi-
gum, eudem ego iam oppugnarem
et publice lacesterem? Ita fane est. Ipse certe
a me TVI amantissimo illud non impetrassem,
quod TVA voluntas facile impetravit. Volenti

igi-

(*) Vide supra epist. VIII. p. 236.

igitur nulla fiet iniuria. Habebis me aduersarium ita TE petitum, vt quum ex philosophorum formula REACTIO ACTIONI AEQUALIS SIT, virium TVARVM documentum inter omnes constare possit. Non tamen in gratiam TECUM redibo. Eodem TIBI obluctabor amore, quo in TE semper animatus fui, operamque dabo, vt omnes intelligent, quam velim honoribus TVIS, quibus ab amplissimo philosophorum ordine condecoratus in celebritatem academicam iam prodid, commilitonibus doctrina et dexteritate profuturus. Nouum profectuum specimen philosophicum eo TIBI lubentius gratulor, quo magistrations suas mihi semper probarunt, qui in tractandis docendisque propaedeumatibus altiorum disciplinarum, plures scientias feliciter copulant, atque philosophiam solidiorem cum linguis, historia, litterisque in uniuersum omnibus, quae ab humanitate nomen habent, coniungunt, aut natura communique fine iunctas non separant. Neutra enim, si ab altera doctrinarum specie diuelliatur, temporum felicitati consulitur, et barbariei obuiam itur. Quam ob rem philosophiae cum philologia felicissimam coniunctionem in TE impense laetor, eoque certius fore spero et plane confido, vt labores academicí TIBI aliisque e re litterarum cedant, atque sic omnium rectissime mutuas suspiciones nugarum tricarumque et praetereras et effugias, quas tam philosophia abstractionibus, distinctionibus et demon-
stra-

strationibus, quam philologia analysi, regulis, emphasis vetustatibusque vna alteri facere solet. Pluribus te non morabor. De me paucis recipio, quidquid ab homine meae fortunae ingeniique officiorum et studiorum profici sci potest, eius tibi nihil umquam defuturum, eademque fide, industria et voluntate me usurum in te ornando, colendo, dataque opportunitate iuando, qua in te formando litterisque tuis prouehendis elaborare studui. Vale, deo vires valitudinis omnemque felicitatem suffecturo ardentissime commendatus, mihi que faue. Dedi in acad. frideric. d. XII. cal. mai. an. CLO ID ccxxxviii.

AD MEDITATIONES MATHEM.

DE

NONNVLLIS ABSTRACTIS MA-
THEMATICIS

QVAS

ERVDITORVM DIIVDICATIONI SVBMISERVNT
AD D. VII. OCTOBR. CLO ID ccxxxviii.

M. GEORG. FRIDER. (*) MEIER

ET

IACOB. HENR. SPRENGEL

REZINENSIS VCKARO - MAR CHICVS.

CLA-

(*) Vide supra ep. VIII. p. 236.

**CLARISSIMO PRAESIDI
NOBILISSIMOQVE RESPONDENTI**

SAL. PLVR. DIC.

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN.

Tanta mihi vobiscum necessitudo est, amicissimi disputantes, multis officiis vestris et meis mutuis constituta, ut vestra causa omnia velim, neque ipsa litterarum, quas disputabitis, a studiis meis diversitate a vobis diuelli patiar. Inuitastis me ad oppugnandas theses examini publico propositas, quod mihi valde honorificum duco, curaboque, ut vobis euadat presicuum. Licet enim a puluere et radio, meis olim deliciis, dudum discerferim, et experiundo satis didicerim, quam facile nouis cogitationibus obducantur, et situm contrahant litterae continuo tractari desitae: nihil tamen secius discrimen subibo, excutiam veterem supellecilem, expediam arma obsita et adesa, vobisque obluctabor, non, ut victoriam dubiam, sed minus gloriam reddam, si imperium tuleritis hostemque debellaueritis pugnantem. Prouidebo certe, ut et amicitiae voluntatisque aduersus vitrumque vestrum, quos in meis habeo, et officii nuper admodum, quum disputationem de gradibus virtutis moderarer, mihi praestiti immemor videar nemini. Argumentum dissertationis haud difficulter omnibus appro-

approbabitis, qui scientiis, cupiunt, neque
praeter sua, et ex scholis suis hausta nihil
non improbant. Per magni enim interest ad
litterarum incrementa, ut de primis scientiarum
principiis, ipsisque terminis, quos technicos
vocant, sollicite philosophemur, eorumque ra-
tiones subducamus sedulo. Quare diligentiam
in hac re positam et laudo vehementer et vobis
vere gratulor. Sed quoniam ad gratulationes
venio, plura habeo, quae vtrique gratuler. TIBI,
clarissime PRAESES, auspicia laborum academico-
rum, hanc aestatem feliciter exantlatorum gra-
tulor, auditorumque profectus, gratulor vale-
tudinem aliquantum confirmatiorem, quae ab
ipsis laboribus virium incrementa cepisse vide-
tur, gratulor mentem praecclare et modeste ani-
matam, suo se suaque modo metiri soliram, gra-
tulor denique bonorum bene multorum fauorem,
ipsumque maleuolorum stomachum, et impoten-
tiorem in aidiam, indiuulsam virtutis et industriae
comitem. TIBI vero, aestumatissime SPRENGEL,
ingenium gratulor ad litteras natum formatum-
que, incredibilem virium contentionem,
progressus eximios, non solum in sanctioribus
doctrinis, quibus te consecrasti, verum etiam
in reliquis litteris, quae ciuitatis sacrae doctorem
perficiunt et exornant, factos, atque egregiam
spem, quam excitasti, atque, si qua coepisti,
via perrexeris, non implebit tantum, sed supe-
rabis. Quod reliquum est, quidquid ab homine
offi-

officio, sibi constante VESTRIQUE amantissimo
exspectari potest, ita de me recipio, ut maiore
studio, magisue ex animo polliceri nequeam.
Vos operam date, ut bene valeatis, et rem ve-
stram rectissime agatis, e re utilitatis publicae.
Hoc mihi gratius facere nihil poteritis. Dedi
HALAE ad SALAM in academ. frideric. d. III. id. oct.
clⁱ 15 cccxxxviii.

AD DISPUTAT. IN AVGVRAL.

QVA

SOLOECISMVS CASVVM

三

EBRAISMO SACRI CODICIS DE-
PELLITVR

OVAM

PRAE SIDE

D. CHRIST. BENED. MICHAELIS

THEOL. AC LINGG. GR. ET ORIENT. PROE. ORD.

PRO CONSEQVENDIS MAGISTRI HO-
NORIBVS

AD D. XX. SEPTEMBR. CLCL XXXXIII. DEFENSIT.

SAMUEL ZORN

THALENA-MAGDEBURG.

GLA-

CLARISSIMO CANDIDATO

SAL. PLVR. DIC.

D. SIG. IAC. BAVMGARTEN.

Disputaturo **TIBI** publice gratulandum
esse puraui, non otii abundantia, sed
amoris erga **TE** mei et vetustioris et a **TE**
ita culti, ut quae in aliis voluntatis
suerit, illius significatio, in **TE** certe officii esse
videatur. Quoties enim **TE** cogito, in mentem
venire solet laboris scholastici, quem semper
meminisse iuuabit. Nec **VM**quam sine voluptate
recordor assidue operae et studii, quo me litteras
humaniores et philosophiam praeceuntem
prosequebaris, ex quo in disciplinam meam con-
cesseras. Cuius industriae tirocinique fructus
ut **TIBI** constiterint, et in posterum aliis aeque
ac **TIBI** constent, non precor magis quam spero
et confido. Seuerioribus deinde sacris initiatus
in decurrendo stadio doctrinarum sanctiorum
idem lateri **meo** adhaesisti comes indiuul-
sus, singulasque theologiae partes non
salutasti solum, sed sedulus obiisti, et
pericrutaratus es. Neque postea **BEROLINVM** de-
latus atque huc redux factus a **TE** discessisti, sed
aliquot annos rationum consiliorumque **TVORVM**
omnium me participem esse voluisti. Effecerunt
haec studia **TVA**, ut iam vadimonium deferere
mihi viderer, si a **TE** amando, ornando, et si
qua

qua fieri posset, iuuando deficerem. Habeo
tamen praeterea, cur te amem, rationes alias
complures, ingenium excitatum et laborum
patientissimum, studiorum maturitatem, quam cu-
pere paucis, attingere paucioribus datum est, mo-
rum pudenterissimorum suavitatem, animi mode-
stiam, ipsamque prodeundi in lucem academicam
cunctationem, quam diuturniorem aegre tulissem.
Accedit tandem ipsa haec disputatio solemnis, a
qua me abesse, noluisti, quum aduersarii hostisque
publici partes mihi detulisti, inusitato alias deuinci-
endi amicos vinculo denuo me obligaturus. Com-
parebo igitur, oppugnabo te, periclitabor non
amorem in me TVVM aut aduersus te meum,
sed victoriam, de qua eo certior te securum
esse iubeo, quo minorem telorum armorumque
spem relinquit et ipsa dissertatio eximia, et otii
ad ea fabricanda summa his diebus penuria. En
amicissime ZORNI! voluntatis tesseram. Si quid
in posterum a me in te proficiisci poterit non
beneficii, quod in me non cadet, sed operaे
officiique, mihi constabo TVI amantislimus. Vale
et rem TVAM age rectissime e re littera-
rum publicaeque utilitatib. Dedi HALAE pro-
pter SALAM in acad. frideric. d. x. cal. octobr.
e/o Ic CCXXXVIII.

V

AD

AD DISSERT. IN AVGVRALEM
 DE
 PVNCTORVM EBRAICORVM
 ANTIQVITATE

QVAM

PRAESIDE

D. CHRIST. BENED. MICHAELIS

THEOL. AC LINGG. GR. ET O. PROFESS. ORD.

PRO IMPETRANDIS MAGISTRI HONORIBVS

AD D. III. OCT. A. CLO IO CCXXXVIII. DEFENDIT

AVCTOR RESPONDENS

IO. DAVID MICHAELIS

HALENSIS.

CLARISSIMO CANDIDATO

SAL. PLVR. DICIT

D. SIGISM. IAC. BAVMGARTEN.

Bellam hanc opportunitatem nactus voluntatem in TE meam publice significandi, nolui amicitiae nostrae atque adeo mihi ipse deesse. Aliquid certe litterarum ad TE dandum esse existimau: non quod meum in TE, TVAMQUE gentem studium cuiquam obscurum et dubium esse credam, aut mea TE laude, testimonio et commendatione indigere aut or-
nari

nari admodum posse mihi persuadeam. Haud paullo plus in me quam in TE iniurius forem, si horum quidquam in mentem venire paterer. Sed quod moris iura id exigere videntur, et mea magni aliorumque non omnino nihil interesse arbitror, ut quas leges sefer in feligendis amicis, pretioque litterarum cultoribus, carissimis mihi capitibus, statuendo inter omnes constet. Nam crede mihi, amicissime MICHAELIS! non coeco impetu aut fortuito per nescio quid abruptus in TE deamandum incidi, sed iudicio eo deueni, rationibusque subductis TIBI volo, TE, TVAMQUE rem et dignitatem amplector. Parentem TVVM venerandum, de academia litteris et me optime meritum, non commemorabo, cui vni quidquid in me sit aut fuerit potius linguarum orientalium peritiae, debere gratus fateor, ut quem in litteris syriacis, arabicis aethiopicis doctorem, rabinicis vero auctorem fidum habui: licet paterna amicitia familiaritatis nostrae fundamenta iecerit omnino. Verum ea producam, quae TIBI propria magis sunt atque in hac re potissimum momentum trahunt. Vbi a puluere scholastico ordiendum est, in quo primum mihi innotuit excellens quod DEI beneficio a natura habes ingenium, et laudabilis proficiendi ardor, quem prae TE ferebas. Dici non potest quantam ex illa virium contentione, morum sedatorum suavitate,

tate, laborum monitorumque patientia et officioso amore tuo cum voluptate spem de te conceperim, quoties inter reliquos curae meae concretitos mihi offerebaris. Quam te postea non felixsem impense laetor. In academia enim tantum absuit, ut diuelleremur, ut potius litterarum, animorum et sanctioris disciplinae societate arctius copularemur. Ex quo tempore mentem in te suspexi diuinitus animatam, et inusitatam in illa aetate sollicitudinem severiora religionis et litterarum sacra ita coniungendi, ut illis primas semper deferres, his numquam nuntium mitteres, imo subinde instauratis virtibus operam addiceres. Cuius rei non erit ut te umquam poeniteat. Accedit iam noua laborum academicorum consociatio, quum honores philosophicos disputatione habita publice capefisis, alios bonas litteras docturus, quod tibi academie et mihi gratulor. In quibus solemnibus me quoque comparere iussisti ad opponendum honorifice inuitatum. Argumentum dissertationis vehementer etiam atque etiam laudo et probo. Nondum enim haec caufa, quam tuendam suscipis, ita perorata est, ut nouis patronis opus non habeat. Sed de his coram. De studio meo in posterum plura reciperem, nisi haec fieri quam scribi et dici mallem. Hoc tamen de me tibi persuadeas valde velim, si quid umquam aut ad voluntatem aut ad commodum aut ad digni-

gnitatem tuam pertinere videbitur, sedulo me
prouisurum, ut non alios magis quam me ipsum
superem. Ita vale DEO ardentissimis precibus
commendatus, mihique, si merebor, faue,
Dedi in acad. frideric. prid. cal. octobr. an.
clo 10 cxxxviii.

AD DEMONSTRATIONEM PHILOS.

DE
AFFECTIBVS

QUAM

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMISERVNT

A. D. XI. OCTOBR. clo 10 cxxxviii.

M. GODOFREDVS (*) PROFE

AMPL. FACVLT. PHILOS. ADIVNCTVS

ET

AVCTOR RESPONDENS

IO. CONRAD DANIEL HOYOL

IVR. VTR. CVLTOR.

NOBILISSIMO DISPVTATIONIS AVCTORI

SAL. PLVR. DIC.

D. SIG. IAC. BAVMGARTEN.

(*) Nuper admodum professoris matheſeos partes
ſuscepturus ALTONAVIAM confeſſit.

Dupliciter delectatus sum disputatione
TVAM, et quod laudabilem in TE pro-
ficiendi ardorem satis mihi iam ante
probatum, felicesque in bonis litteris
progressus factos denuo perspexi, et quod TVAM
praesidisque praeclarissimi in me voluntatem ex
publica oppositione mihi demandata intellexi.
Neutrum, crede mihi, sine singularis laetitiae
sensu percepit. Quum enim ad temporum feli-
citatem magni interesse existimo, omnium or-
dinum studiorumque litteras solide tractari,
haud mediocrem voluptatem capio ex erectiorum
iuvenum contentione non solum sacris litteris
initiatorum, quorum peculiarem curam ad me
pertinere puto, verum etiam reliquarum disci-
plinarum studiis consecratorum. Inter quos,
qui iam hic litteras colunt, quorum mihi inno-
tuit indefessa in tractandis legibus industria sine
neglectu studiorum, quae iustitiae sacerdoti et
ornamento et usui sunt, quem TIBI praeferrem,
noui omnino neminem. Cognitam exploratam
que habui hanc sollicitudinem TVAM nihil prae-
tereundi quod e re litterarum, quibus TE addi-
xisti, fore arbitraris, quum priuatissimis scho-
lis meis historiae CHRISTIANAE et antiquitatum
sacrarum iuri canonico profuturarum, vna cum
generosissimis commilitonibus, quibus illi labo-
res destinabantur, assiduam operam dares. At-
que haec ipsa dissertatio a TE conscripta satis
com-

comprobat, quam feliciter philosophiam cum
 iure addiscendo coniunxeris. Argumentum,
 quod disputas, ex psychologia desumptum di-
 gnatum sane est, in quo curatus explicando de-
 monstrandoque elaborares, mihi autem mirifice
 placuit, idque eo magis quo diuturnior
 gratiorque fuit eiusdem rei meditatio, quae
 me hos dies in reuidendo edendoque ele-
 gantissimo WATTSII libro theologico, de
 pretio affectibus statuendo, usque eximio in
 religione, occupatum tenuit. Onus oppu-
 gnandi te publice quod mihi imposuisti, graue
 dicerem et difficile planeque detrectarem, si
 per amicitiam liceret officiumque patere-
 tur. Non tibi magis quam mihi ipse deessem,
 si hanc amoris in me TVI significationem non
 amplectenter soueremque et oblatam opportu-
 nitatem negligerem publice testificandi et
 quam cupiam ingenio Tvo, de quo prae-
 clara omnia spero, et quantum velim stu-
 diis meritisque clarissimi praesidis TVI, mei
 dudum amantissimi. Comparebo igitur, con-
 grediar VOBISCUm licet vnum omnium optime
 prouideam, quam sim inferior ex conflictu
 discessurus, qui si vel maxime voluntate viri-
 busque pugnandi non destituerer, otio tamen
 ad excogitandas obiectiones vestra dexterite-
 tate non indignas nunc quidem penitus ca-
 reo. Pluribus te non morabor. Gratulationem
 quam

quam mereberis nondum occupabo, sed coram expediam. Officiosissimum amorem non bonis verbis sed ipsa re declarabo. Vale.

Dedi HALAE ad SALAM in acad. frideric. prid.

id oct. cl^e lo CCXXXVIII.

F I N I S.



manus

ERRATA

ERRATA.

Pagina Linea

- 27 12. pro: erfurdenſi lege erfurtenſi
- 31 5. pro: tranqwillitas lege : tranquillitas
- 32 1. pro fagaque lege: fagoque
- 38 15. pro: fecundo lege: foecundo
- 46 6. pro: quicum lege: quocum
- 49 9. pro: inferias lege: in ferias. lin. 21. pro pre-
cemiſi lege : precamini
- 60 18. pro: HAMBERGERVM lege : HAMBERGERVM
- 65 5. pro: tranſeat lege: tranſeant
- 73 27. pro exolendum lege: excolendum
- 80 20. pro: anni versariae lege: anniuersariae.
1. 30 pro: ROD. lege: RVD.
- 81 23. pro: tranſitus lege: transitus. 1. 28 pro:
tritentini lege: tridentini
- 82 7. pro: alicubiter lege: alicubi ter. 1. 27
pro: CRYSSOTOMI lege: CHRYSOSTOMI
- 83 6. pro factum lege: factum
- 84 2. pro: Ἡλίου lege: Ἡλίου. 1. 29. pro: di-
ētōris lege: directoris
- 86 29. pro: missione lege: missione
- 87 12. pro reddunt lege: geddunt. 1. 17. pro: nulli-
libi lege: nullibi
- 88 7. pro: si lege: si
- 89 15. pro: πάσας lege: πάσας lin. 1. pro:
οσω lege: οσω
- 90 5. pro σοναγούσαν lege: σοναγεῦσαν. lin. 6.
pro: pascha lege: pascha.
lin. 12. pro: besterna lege: hesterna. lin. 16.
pro: illustantes lege: illustrantes
- 91 18. pro: surrit lege: surrexit
- 92 3. pro: si lege: sic. lin. 18. pro: ut lege: ut
- 94 6. pro: iesy lege: iesv. lin. 15. pro: CHRISTVM
lege: CHRISTVM lin. 18. pro: divinam lege:
diuinam. 1. 20. pro: vendi lege: uendi.
- 95 1. pro: transiru lege: transitu
- 98 4. pro: circum ferimus lege: circumferimus

- 104 9. pro dici lege diei
106 21 pro: LICHTFOOTO lege: LIGHTFOOTO
108 6. post: ordinandis deleatur (:). vel l. 5. post:
panderetur deleatur (.)
123 14. pro: tenore lege: tenere. l. 27. pro: cæ-
sariensem lege: caesariensem. l. 29. pro:
inep-lege; ineq-littera (p) ad sequentem li-
neam missa.
124 25. post; pellucet deleatur (,) l. 26. pro: inte-
reat lege: intererat
125 20. pro: imposturae lege: impostura, lin. 8 pro:
marmorae lege: marmoreae.
126 6. pro: te lege: de
127 16 pro: HIPPOLITVM lege: HIPPOLYTVM
130 28. pro MAR. lege: MART.
134 13. pro: soluberrima lege: saluberrima
135 12. pro: vniuersam lege: vniuersam
140 16. pro: similitudinem lege: similitudinem
142 1. pro: transflisse lege: transflisse
147 14. pro: ἀγιωσύνης ἀγιωσύνης
148 30. pro: erit. lege: crit.
152 1. pro: penhentiae lege: pendentiæ
154 28. post; coniungit pro: (.) lege: (.)
155 14. pro: definitionem, lege: definitionem
158 28. pro: Ιστοῦν lege: Ηστοῦν
160 21. pro: cap. XXVIII lege: com. XXVIII
lin. 22. pro: cap. VII lege: com. VII
161 1 pro: nus; lege: minus lin. 17. pro λεγό-
μενος lege λεγούμενος
162 23. pro: THOM. lege: THEOD.
163 28. pro not. d. lege: not. e.
176 11. pro: recepo lege: recepto
190 3 pro: OHNNES lege IOANNES
191 5 pro: SELIGENTIS lege: SELIGENDIS
207 18. pro: uem lege: nem
208 14. pro: m re lege: mite
224 30. pro: balsanum lege balsamum
234 11. pro: de fuit lege: defuit
237 5. pro: hac lege: haec
240. 26. pro:

- 240 26. pro: acra lege: lacra
244 25. pro: allud lege aliud
259 21. pro: eongestis lege: congestis
265 34. pro: laedantur lege: laeduntur
272 10. pro: ad eo lege: adeo
273 6. deleatur: TAM
278 21. pro: distineor lege: distineor
285 18. pro arbiturientem lege: abiturientem
286 4. pro: er lege: et
292 8. pro: comode lege: commode
295 11. pro: GLASSOVIA lege: GLASQVIA
297 4. pro felici lege: felici
299 3. pro laborum lege: laborum
300 2. pro: litteris lege: litteris
301 21. pro: litterarum lege: litterarum
303 8. pro: vestram lege: vestrum
305 2. pro: fauerrimus lege: vaferimus
306 5. pro: abundantissime lege: abundantissime
313 13. pro: inteligam lege: intelligam
315 3. pro: granulationes lege: gratulationes
316 17. pro: quicquid lege: quidquid
317 23. pro: interpretetur lege: interpreter
319 21. pro: profiscine lege: praefiscine
322 7. pro: docem lege: decem
329 4. pro: expectatione lege: exspectatione.
334 1. post: Scienziis deleatur (.)
336 23. pro: perscrutatus lege: perscrutatus



(7/2)



3

f

Sb.

WDT



